CAPITVLVM IX

Exercitium 1

1. Ecce pāstor cum cane et centum ovibus.

2. Pāstor ūnum canem et centum ovēs habet.

3. Pāstor est dominus canis et ovium.

4. Pāstor canī et ovibus cibum dat.

5. Canis et ovēs ā pāstōre cibum accipiunt.

6. Dominus huius pāstōris est Iūlius.

7. Iūlius pāstōrī suō pānem dat.

8. Iūlius nōn ūnum pāstōrem, sed multōs pāstōrēs habet.

9. Iūlius est dominus multōrum pāstōrum.

10. Iūlius pāstōribus suīs pānem dat.

11. Pāstōrēs pānem accipiunt ā dominō suō.

12. Ovēs ā pāstōribus suīs nōn abeunt.

Lēctiō I

-is	-ēs
-em	-ēs
-is	-ium
-ī	-ibus
-e	-ibus
-	-ēs
-em	-ēs
-is	-um
-ī	-ibus
-e	-ibus

Exercitium 2

1. Pāstor in campō est cum cane et centum ovibus.

2. Ūna ovis nigra est, cēterae sunt albae.

3. Pāstor ovibus suīs aquam et cibum dat.

4. Cibus ovium est herba; ovēs herbam edunt, et aquam bibunt ē rīvō.

5. Cibus pāstōris est pānis; pāstor pānem ēst.

6. Post campum montēs sunt; inter montēs sunt vallēs.

7. In campō est parvus collis, in quō ūna arbor est.

8. In silvā multae arborēs sunt.

9. In silvīs et in montibus sunt lupī, quī ovēs edunt.

10. Sōl lūcet; nūlla nūbēs in caelō est.

11. Caelum est suprā terram.

12. In terrā sunt campī et silvae, montēs et vallēs.

13. Sōl lūcet; nūlla nūbēs ante sōlem est.

14. Sub arbore nōn sōl, sed umbra est.

15. Pāstor ad arborem it: pāstor umbram petit.

16. Pāstor ovēs suās ad arborem dūcit.

17. Iam pāstor et ovēs sub arbore iacent.

albus
arbor
bibit
caelum
campus
canis
cibus
collis
dūcit
ēst edunt
herba
iacet
lūcet
lupus
mōns
niger
nūbēs
ovis
pānis
pāstor
petit
rīvus
silva
sōl
sub

Exercitium 3

1. Ubi est pāstor? ...

pāstor in campō est

2. Quot ovēs apud eum sunt? ...

centum ovēs

3. Quid inest in saccō pāstōris? ...

in saccō eius pānis inest

4. Ovēsne pānem edunt? ...

ovēs herbam edunt, nōn pānem

5. Cūr canis pāstōrem amat? ...

... quia pāstor canī cibum dat

6. Quis est dominus pāstōris? ...

dominus pāstōris est Iūlius

7. Quid vidētur post campum? ...

post campum montēs videntur

8. Inter montēs quid est? ...

inter montēs sunt vallēs

9. Quot arborēs in colle sunt? ...

ūna arbor in colle est

10. Cūr pāstor et ovēs in silvam nōn intrant? ...

... quia lupōs timent

11. Quid est in caelō? ...

in caelō est sōl

12. Quō pāstor ovēs dūcit? ...

pāstor ovēs in umbram dūcit

13. Cūr pāstor umbram petit? ...

... quia sōl lūcet

14. Ubi iacet pāstor? ...

sub arbore in umbrā iacet

Exercitium 4

1. Pāstor bonus ab ovibus nōn abit.

---

2. Ovēs pāstōrem bonum amant.

---

3. Iūlius est dominus pāstōris bonī.

---

4. Iūlius pāstōrī bonō pānem dat

---

5. Ovēs ā pāstōre bonō nōn abeunt.

---

6. Pāstōrēs bonī ab ovibus suīs nōn abeunt.

---

7. Iūlius multōs pāstōrēs habet.

---

8. Iūlius est dominus multōrum pāstōrum.

---

9. Iūlius pāstōribus suīs pānem dat.

---

10. Ovēs ā pāstōribus suīs nōn abeunt.

---

pāstor bonus (*m.*)
ovis alba (*f.*)

-(is)	-us/-a
-em	-um/-am
-is	-ī/-ae
-ī	-ō/-ae
-e	-ō/-ā
-ēs	-ī/-ae
-ēs	-ōs/-ās
-(i)um	-ōrum/-ārum
-ibus	-īs

11. In campō sunt multae ovēs albae et ūna ovis nigra.

---

12. Pāstor multās ovēs albās et ūnam ovem nigram habet.

---

13. Pāstor est dominus ovium albārum et ovis nigrae.

---

14. Pāstor ovibus albīs et ovī nigrae cibum dat.

---

15. Pāstor in campō est cum multīs ovibus albīs et ūnā ove nigrā.

Exercitium 5

1. In caelō nūllae nūbēs sunt.

---

2. Nūlla nūbēs ante sōlem est.

---

3. Pāstor nūllam nūbem in caelō videt.

---

4. In campō est collis parvus cum magnā arbore.

---

5. Collis est mōns parvus.

---

6. Post campum sunt magnī montēs.

---

7. In parvō colle ūna arbor est.

---

8. In magnā silvā multae arborēs sunt.

---

9. Pāstor ovēs suās ad parvum collem dūcit.

---

10. Pāstor fessus cum ovibus suīs in umbrā magnae arboris iacet.

---

11. Arbor pāstōrī fessō et ovibus fessīs umbram dat.

Exercitium 6

Exemplum:

Mēdus ā Iūliō abit = Mēdus Iūlium relinquit.

1. Servus improbus ā dominō suō abit = Servus improbus dominum suum relinquit

2. Servī probī dominōs suōs nōn relinquunt = Servī probī ab dominīs suīs nōn abeunt

3. Mēdus et Lȳdia ā tabernā abeunt = Mēdus et Lȳdia tabernam relinquunt

4. Iūlia ab Aemiliā et puerīs abit = Iūlia Aemiliam et puerōs relinquit

5. Ovis nigra pāstōrem suum relinquit = Ovis nigra ā pāstōre suō abit

6. Canis ā pāstōre nōn abit = Canis nōn relinquit pāstōrem

7. Pāstor ovēs albās relinquit = Pāstor ab ovibus albīs abit

8. Lupus ab ove et cane abit = Lupus ovem et canem relinquit

Exercitium 7

1. Dum pāstor dormit, ovis nigra abit.

2. Canis ovem videt et lātrat: "Baubau!"

3. Pāstor ovēs albās relinquit et silvam petit.

4. Ovis nigra in magnā silvā errat.

5. In terrā sunt vestīgia lupī; lupus ipse nōn procul abest.

6. Lupus in silvā cibum quaerit.

7. Pāstor ovem quaerit, neque eam reperit.

8. Lupus ululat: "Uhuhū!" Ovis bālat: "Bābā!"

9. Ovis cōnsistit et exspectat dum lupus venit.

10. Oculī lupī in umbrā lūcent ut gemmae.

11. Lupus dentēs suōs albōs ostendit!

12. Sed ecce canis accurrit et sine timōre [< timēre] lupum petit!

13. Pāstor clāmat; canis clāmōrem eius audit.

14. Pāstor parvam ovem in umerōs impōnit.

Exercitium 8

1. Quō abit ovis nigra? ...

ovis nigra in silvam abit

2. Dormitne canis? ...

canis nōn dormit

3. Quid agit pāstor? ...

pāstor ovēs relinquit

4. Ubi ovis nigra errat? ...

ovis nigra in magnā silvā errat

5. Quid ovis videt in terrā? ...

vestīgia lupī in terrā videt

6. Quid lupus in silvā quaerit? ...

lupus cibum quaerit in silvā

7. Quid pāstor et canis quaerunt? ...

pāstor et canis ovem quaerunt

8. Ululatne canis? ...

nōn canis, sed lupus ululat

9. Quid ovis ante sē in umbrā videt? ...

ovis oculōs et dentēs lupī videt

10. Cūr lupus ovem relinquit? ...

... quia canis accurrit

11. Quō pāstor ovem nigram portat? ...

ovem ad cēterās ovēs portat

12. Cēterae ovēs quid agunt? ...

in campō errant sine pāstōre

Exercitium 9

Dēclīnātiō prīma

Exemplum: vīll|a, gen. sing. -ae, fēm.

	Sing.	Plūr.
1. Nōm.	vīll|a	vīll|ae
2. Acc.	vīll|am	vīll|ās
3. Gen.	vīll|ae	vīll|ārum
4. Dat.	vīll|ae	vīll|īs
5. Abl.	vīll|ā	vīll|īs

6. 'Vīll|a' nōminātīvus singulāris est.

7. 'Vīll|ā' ablātīvus singulāris est.

8. 'Vīll|ae' genetīvus aut datīvus singulāris est aut nōminātīvus plūrālis.

9. 'Vīll|am' accūsātīvus singulāris est.

10. 'Vīll|ārum' genetīvus plūrālis est.

11. 'Vīll|ās' accūsātīvus plūrālis est.

12. 'Vīll|īs' datīvus aut ablātīvus plūrālis est.

Exercitium 10

Dēclīnātiō secunda

Exempla:

domin|us, gen. sing. -ī, masc.; verb|um, gen. sing. -ī, neutr.

	Sing.	Plūr.	Sing.	Plūr.
1. Nōm.	domin|us	domin|ī	verb|um	verb|a
2. Acc.	domin|um	domin|ōs	verb|um	verb|a
3. Gen.	domin|ī	domin|ōrum	verb|ī	verb|ōrum
4. Dat.	domin|ō	domin|īs	verb|ō	verb|īs
5. Abl.	domin|ō	domin|īs	verb|ō	verb|īs
6. Voc.	domin|e			

7. 'Domin|e' vocātīvus singulāris est.

8. 'Domin|ī' genetīvus singulāris est aut nōminātīvus plūrālis.

9. 'Domin|īs' et 'verb|īs' datīvus aut ablātīvus plūrālis est.

10. 'Domin|ō' et 'verb|ō' datīvus aut ablātīvus singulāris est.

11. 'Domin|ōrum' et 'verb|ōrum' genetīvus plūrālis est.

12. 'Domin|ōs' accūsātīvus plūrālis est.

13. 'Domin|um' accūsātīvus singulāris est.

14. 'Domin|us' nōminātīvus singulāris est.

15. 'Verb|a' nōminātīvus aut accūsātīvus plūrālis est.

16. 'Verb|ī' genetīvus singulāris est.

17. 'Verb|um' nōminātīvus aut accūsātīvus singulāris est.

Exercitium 11

Dēclīnātiō tertia

Exempla:

pāstor, gen, sing -ōr|is, masc.

ov|is, gen. sing. -is, fēm.

	Sing.	Plūr.	Sing.	Plūr.
1. Nōm.	pāstor	pāstōr|ēs	ov|is	ov|ēs
2. Acc.	pāstōr|em	pāstōr|ēs	ov|em	ov|ēs
3. Gen.	pāstōr|is	pāstōr|um	ov|is	ov|ium
4. Dat.	pāstōr|ī	pāstōr|ibus	ov|ī	ov|ibus
5. Abl.	pāstōr|e	pāstōr|ibus	ov|e	ov|ibus

6. 'Pāstor' nōminātīvus singulāris est.

7. 'Pāstōr|e' et 'ov|e' ablātīvus singulāris est.

8. 'Pāstōr|em' et 'ov|em' accūsātīvus singulāris est.

9. 'Pāstōr|ēs' et 'ov|ēs' nōminātīvus aut accūsātīvus plūrālis est.

10. 'Pāstōr|ī' et 'ov|ī' datīvus singulāris est.

11. 'Pāstōr|ibus' et 'ov|ibus' datīvus aut ablātīvus plūrālis est.

12. 'Pāstōr|is' genetīvus singulāris est.

13. 'Ov|is' nōminātīvus aut genetīvus singulāris est.

14. 'Pāstōr|um' et 'ov|ium' genetīvus plūrālis est.

CAPITVLVM X

Exercitium 1

1. Lupus et canis et ovis bēstiae sunt.

2. Virī et fēminae hominēs sunt.

3. Lupus est bēstia fera; etiam leō bestia fera est.

4. In Āfricā sunt multī leōnēs et aliae ferae [= bēstiae ferae].

5. Piscēs sunt bēstiae quae in aquā natant.

6. Avēs sunt bēstiae quae in āere volant.

7. Aquila est magna avis fera quae parvās avēs capit et ēst.

8. Avis quae volat ālās movet; piscis quī natat caudam movet.

9. Homō quī ambulat pedēs movet.

10. Cum homō ambulat, pedēs moventur.

11. Cum avis in āere volat, ālae moventur.

12. Avis ālās habet, itaque avis volāre potest.

13. Leō volāre nōn potest, quod [= quia] ālās nōn habet.

14. Hominēs, quī pedēs habent, ambulāre possunt.

15. Quī ambulat vestīgia in terrā facit.

16. Nōn sōlum equus, sed etiam asinus hominem vehere potest.

17. Mercurius est deus mercātōrum et nūntius deōrum.

18. Mercātor est homō quī emit et vēndit.

Exercitium 2

1. Quid est leō? ...

leō est bēstia fera

2. Quid bēstiae ferae edunt? ...

bēstiae ferae aliās bēstiās edunt

3. Cūr leōnēs ab hominibus timentur? ...

... quia leōnēs hominēs edunt

4. Quae bēstiae in aquā natant? ...

piscēs sunt bēstiae quae natant

5. Quae bēstiae volant? ...

bēstiae quae volant sunt avēs

6. Quid movētur cum avis volat? ...

ālae moventur

7. Quot pedēs habet homō? ...

homō duōs pedēs habet

8. Equus quot pedēs habet? ...

equus habet quattuor pedēs

9. Cūr equus volāre nōn potest? ...

... quia ālās nōn habet

10. Cūr piscēs ambulāre nōn possunt? ...

... quod pedēs nōn habent

11. Hominēsne natāre possunt? ...

multī hominēs natāre possunt

12. Quis est Mercurius? ...

Mercurius deus Rōmānus est

13. In pedibus et in petasō Mercuriī quid est? ...

in pedibus et in petasō eius ālae sunt

14. Quōrum deus est Mercurius? ...

Mercurius est deus mercātōrum

15. Quid est mercātor? ...

est homō quī emit et vēndit

Exercitium 3

1. In Āfricā sunt multī leōnēs.

2. In Āfricā magnus numerus leōnum est.

3. Multī hominēs Rōmae habitant.

4. Rōmae habitat magnus numerus hominum.

5. Leō nōn est amīcus hominis, neque homō amīcus leōnis est.

6. Homō leōnem timet, et hominem timet leō.

7. Leō ab homine timētur, et homō timētur ā leōne.

8. Leōnēs timentur ab hominibus, et hominēs ā leōnibus timentur.

Exercitium 4

1. Avēs volāre possunt; piscēs natāre possunt.

2. Equus ambulāre et currere potest.

3. Ovēs lupum audīre possunt, neque eum vidēre possunt.

4. Iūlia centum numerāre nōn potest.

5. Homō mortuus sē movēre nōn potest.

6. Sub aquā homō nōn potest spīrāre.

7. Sine animā nēmō potest vīvere.

8. Animam dūcere necesse est hominī.

9. Necesse nōn est gemmās habēre.

10. Quī gemmās vēndit pecūniam facere potest.

Exercitium 5

Exempla:

Iūlius Iūliam portāre/vehere potest.

Iūlia ā Iūliō portārī/vehī potest.

1. Iūlia magnum saccum portāre nōn potest.

2. Magnus saccus ā parvā puellā portārī nōn potest.

3. Hominēs deōs neque vidēre neque audīre possunt.

4. Deī neque vidērī neque audīrī possunt ab hominibus.

5. Nēmō piscēs numerāre potest: piscēs numerārī nōn possunt.

6. Quī pecūniam habet cibum emere potest.

7. Sine pecūniā cibus emī nōn potest.

8. Mārcus et Quīntus nōn possunt lectīcam vehere.

9. Ā parvīs puerīs lectīca vehī nōn potest.

10. Canis ōstium neque aperīre neque claudere potest.

11. Ōstium ā cane neque aperīrī neque claudī potest.

Exercitium 6

1. Magnum flūmen est Nīlus.

2. Ōceanus Atlanticus magnum mare est.

3. Piscēs nōn in terrā, sed in aquā vīvunt.

4. Cum homō spīrat, anima in pulmōnēs intrat et rūrsus exit.

5. Anima est āēr quī in pulmōnēs dūcitur.

6. Quī spīrat vīvus est, quī nōn spīrat est mortuus.

7. Sine animā et cibō nēmō vīvere potest.

8. Spīrāre et ēsse hominibus necesse est.

9. Hominēs et bēstiae animālia sunt.

10. Avēs in arboribus nīdōs faciunt.

11. Nīdī sunt inter rāmōs et folia arborum.

12. In nīdīs sunt ōva aut pullī.

13. Avēs ōva pariunt, ex quibus pullī exeunt.

14. Ovis nōn ōva, sed pullōs vīvōs parit.

15. Fēminae quae pecūniam facere volunt ōrnāmenta sua vēndunt.

Exercitium 7

1. Nīlus magnum flūmen est.

2. Nīlus et Rhēnus magna flūmina sunt.

3. Mārcus et Quīntus in parvō flūmine natant.

4. Puerī in aquā flūminis natant.

5. Parva flūmina magnō flūminī aquam dant.

6. Ōceanus magnum mare est.

7. Inter Eurōpam et Āfricam multa maria sunt.

8. In Ōceanō et in cēterīs maribus multī sunt piscēs.

9. In flūminibus quoque magnus numerus piscium est.

10. Nēmō piscēs marium et flūminum numerāre potest.

11. Piscēs sunt animālia quae vīvunt in marī.

12. Leō est animal quod in terrā vīvit.

13. Magnus numerus animālium in terrā vīvunt.

14. Parva animālia ā magnīs animālibus eduntur.

Exercitium 8

1. Iūlia cum puerīs lūdere vult, neque iī cum puellā lūdere volunt.

2. Puerī Iūliam canere [= cantāre] audiunt.

3. Iūlia vōcem pulchram habet: vōx Iūliae pulchra est.

4. Avēs perterritae sunt neque canunt; puerī enim [= nam puerī] nīdōs quaerunt.

5. Avēs perterritae inter folia arborum sē occultant.

6. Quīntus in arborem ascendit ; Mārcus eum aspicit neque ipse in arborem ascendere audet.

7. Nōn crassus, sed tenuis est rāmus quō nīdus sustinētur.

8. Rāmus tenuis puerum crassum sustinēre nōn potest.

9. Quīntus ad terram cadit.

10. Puer spīrat; ergō vīvit, nam quī spīrat mortuus esse nōn potest.

11. Pater fīlium in vīllam portat et in lectō pōnit.

Exercitium 9

Exempla:

Albīnus clāmat. Lydia Albīnum clāmāre audit.

Saccus ā Syrō aperītur. Puer saccum ā Syrō aperīrī videt.

Saccus plēnus est. Puer saccum plēnum esse videt.

1. Iūlia canit. Puerī Iūliam canere audiunt.

2. Iūlia ā Mārcō pulsātur. Quīntus Iūliam ā Mārcō pulsārī videt.

3. Iūlia plōrat et Mārcus rīdet. Quīntus Iūliam plōrāre et Mārcum rīdēre audit.

4. Aemilia venit. Puerī Aemiliam venīre vident.

5. Aemilia īrāta est. Mārcus Aemiliam īrātam esse videt.

6. Pullī mortuī sunt. Iūlia pullōs mortuōs esse videt.

7. Dāvus ā Iūliō interrogātur et ā Mēdō accūsātur. Aemilia Dāvum ā Iūliō interrogārī et ā Mēdō accūsārī audit.

8. Mēdus ā Iūliō vocātur neque venit. Aemilia Mēdum ā Iūliō vocārī audit neque eum venīre videt.

Exercitium 10

1. Quid puerī in hortō agunt? ...

puerī nīdōs quaerunt

2. Quid agit Iūlia? ...

Iūlia canit

3. Cūr avēs hortī nōn canunt? ...

nōn canunt quia puerōs timent

4. Cūr Mārcus Quīntum vocat? ...

... quia nīdum in arbore reperit

5. Mārcusne in arborem ascendit? ...

nōn Mārcus sed Quīntus ascendit

6. Quid est in nīdō ad quem Quīntus ascendit? ...

in nīdō sunt quattuor pullī

7. Cūr rāmus tenuis Quīntum sustinēre nōn potest? ...

... quod Quīntus puer crassus est

8. Quid Mārcus perterritus videt? ...

Mārcus Quīntum cadere videt

9. Estne mortuus Quīntus? ...

puer spīrat, ergō mortuus nōn est

10. Pullīne mortuī sunt? ...

mortuī sunt pullī

11. Quid facit Mārcus? ...

ad vīllam currit et Iūlium vocat

12. Quō pater currit et quid videt? ...

pater ad Quīntum currit et eum oculōs aperīre videt

13. Quō Iūlius fīlium suum portat? ...

fīlium in vīllam portat

14. Quid videt Aemilia? ...

puerum ā Iūliō portārī videt

Exercitium 11

1. 'Vocā' imperātīvus est. 'Vocā|re' est īnfīnītīvus.

2. 'Vidē|re', 'pōn|ere', 'audī|re' nōn imperātīvus, sed īnfīnītīvus est.

3. Imperātīvus: intrā. Īnfīnītīvus: intrāre.

4. Imperātīvus: tacē. Īnfīnītīvus: tacēre.

5. Imperātīvus: discēde. Īnfīnītīvus: discēdere.

6. Imperātīvus: venī. Īnfīnītīvus: venīre.

7. 'Vocā|re' est īnfīnītīvus āctīvī. 'Vocā|rī' īnfīnītīvus passīvī est.

8. 'Vidē|rī', 'pōn|ī', 'audī|rī' nōn īnfīnītīvus āctīvī, sed īnfīnītīvus passīvī est.

9. Īnfīnītīvus: āctīvum: vocāre, passīvum: vocārī.

10. Īnfīnītīvus: āctīvum: vidēre, passīvum vidērī.

11. Īnfīnītīvus: āctīvum: pōnere, passīvum: pōnī.

12. Īnfīnītīvus: āctīvum: audīre, passīvum: audīrī.

13. Īnfīnītīvus: āctīvum: [1, 2, 4] -re, [3] -ere.

14. Īnfīnītīvus: āctīvum: [1, 2, 4] -rī, [3] -ī.

CAPITVLVM XI

Exercitium 1

1. In corpore hūmānō nōn ūnum crūs, sed duo crūra sunt.

2. Corpus hūmānum duo bracchia et duo crūra habet.

4. In crūre pedēs sunt.

5. In corpore hūmānō ūnum caput est, nōn duo capita.

6. In capite est ūnum ōs, nōn duo ōra.

7. Quot capita et quot ōra habent duo corpora?

Exercitium 2

1. In corpore hūmānō sunt quattuor membra: duo bracchia et duo crūra.

2. In bracchiō manus est, in crūre pēs.

3, In capite sunt duo oculī, duae aurēs, ūnus nāsus, ūnum ōs.

4. Ōs est inter duo labra; in ōre sunt dentēs et lingua.

5. Lingua et labra rubra sunt ut rosae.

6. Suprā oculōs frōns est, īnfrā oculōs sunt genae.

7. Super caput capillus est.

8. Capillus virōrum nōn tam longus est quam fēminārum.

9. Quī oculōs bonōs habet bene videt.

10. Quī oculōs malōs habet male videt.

11. Īnfrā collum est pectus, in quō cor et pulmōnēs sunt.

12. In corde est sanguis, cuius color ruber est.

13. Sanguis per vēnās ad cor fluit.

14. Īnfrā pulmōnēs est venter, in quō cibus est.

15. Cor, pulmōnēs, iecur, venter sunt viscera hūmāna.

16. Quī ventrem malum habet nōn est sānus, sed aeger.

17. Medicus est vir quī hominēs aegrōs sānat [= sānōs facit].

18. Aemilia apud lectum Quīntī sedet.

19. Syra quoque adest, neque ea sedet, sed stat.

20. Māter fīliō suō aquam in pōculō dat atque [= et] fīlius aquam bibit.

Exercitium 3

1. Quot membra sunt in corpore hūmānō? ...

in corpore hūmānō sunt quattuor membra

2. Quid est in bracchiō? ...

in bracchiō manus est

3. In crūre quid est? ...

in crūre est pēs

4. Quot aurēs et quot oculī sunt in capite? ...

duae aurēs et duo oculī

5. Quid est in ōre? ...

in ōre sunt dentēs et lingua

6. Cūr Syra male audit? ...

... quia aurēs malās habet

7. Ubi sunt pulmōnēs? ...

pulmōnēs sunt in pectore

8. In corde et in vēnīs quid est? ...

in corde et in vēnīs sanguis est

9. Quī color est sanguinis? ...

color sanguinis est ruber

10. In ventre quid est? ...

in ventre est cibus

11. Quid est medicus? ...

est vir quī hominēs aegrōs sānat

12. Estne sānus Quīntus? ...

Quīntus nōn sānus sed aeger est

13. Estne sōlus in cubiculō suō? ...

sōlus nōn est, māter cum eō est

14. Ubi sedet Aemilia? ...

Aemilia apud lectum sedet

15. Sedetne Syra?

Syra stat, nōn sedet

16. Quid māter fīliō aegrō dat? ...

māter fīliō aegrō mālum dat

17. Cūr Quīntus mālum nōn ēst? ...

... quod mālum ēsse nōn potest

Exercitium 4

1. Syra pulchra nōn est neque nāsus eius pulcher est.

2. Ūna ovis nigra est, cēterae sunt albae.

3. Canis pāstōris nōn est albus, sed niger.

4. Quīntus aeger est, Iūlia aegra nōn est.

5. Māter fīliō aegrō mālum rubrum dat.

6. Quīntus dentem nigrum habet.

7. Dēns niger nōn est sānus, sed aeger.

8. Capillus Mēdī nōn ruber, sed niger est.

Exercitium 5

Exempla:

Dominus: "Tacē, serve!" Dominus servum tacēre iubet.

Dominus: "Tacēte, servī!" Dominus servōs tacēre iubet.

1. Medicus: "Ōs aperī, puer, et linguam ostende!" Medicus puerum ōs aperīre et linguam ostendere iubet.

2. Lȳdia: "Cōnsiste, Mēde! Aspice tabernam!" Lȳdia Mēdum cōnsistere et tabernam aspicere iubet.

3. Iūlius: "Currite in hortum, puerī!" Iūlius puerōs in hortum currere iubet.

4. Iūlius: "Curre, Mārce!" Iūlius Mārcum currere iubet.

5. Domina: "Aperīte fenestrās, ancillae!" Domina ancillās fenestrās aperīre iubet.

6. Aemilia: "Claude oculōs atque dormī, Quīnte!" Aemilia Quīntum oculōs claudere atque dormīre iubet.

7. Syra: "Tergē oculōs, Iūlia! Es laeta!" Syra Iūliam oculōs tergēre et laetam esse iubet.

Exercitium 6

Exempla:

Iūlia canit. Mārcus Iūliam canere audit.

Mārcus: "Iūlia canit." Mārcus 'Iūliam canere' dīcit.

1. Puer dormit. Medicus puerum dormīre videt.

2. Medicus: "Puer dormit." Medicus 'puerum dormīre' dīcit.

3. Lingua puerī rubra est. Medicus linguam eius rubram esse videt.

4. Medicus: "Lingua eius rubra est." Medicus 'linguam eius rubram esse' dīcit.

5. Pēs dolet. Quīntus pedem dolēre sentit.

6. Quīntus: "Pēs dolet!" Quīntus 'pedem dolēre' dīcit.

7. Servī clāmant et rīdent. Aemilia servōs clāmāre et rīdēre audit.

8. Aemilia: "Servī clāmant et rīdent!" Aemilia 'servōs clāmāre et rīdēre' dīcit.

9. Sacculus Dāvī vacuus est. Iūlius sacculum vacuum esse videt.

10. Iūlius: "Sacculus Dāvī vacuus est." Iūlius dīcit 'sacculum Dāvī vacuum esse'.

Exercitium 7

1. Ubi habitat medicus? ...

medicus Tūsculī habitat

2. Quō Iūlius servum suum īre iubet? ...

Iūlius servum Tūsculum īre iubet

3. Ambulatne servus quī medicum arcessit? ...

servus equō vehitur, nōn ambulat

4. Quō it Iūlius cum medicō? ...

ad puerum aegrum it cum medicō

5. Quid medicus videt? ...

medicus puerum dormīre videt

6. Quid dīcit medicus? ...
medicus 'puerum dormīre' dīcit
7. Cūr Syra verba medicī audīre nōn potest? ...
... quia malās aurēs habet
8. Quid medicus Quīntum facere iubet? ...
iubet eum linguam ostendere
9. Quī color est linguae? ...
lingua rubra est
10. Quid dīcit medicus? ...
dīcit 'linguam rubram esse'
11. Quid medicus videt inter dentēs albōs? ...
dentem nigrum videt
12. Suntne sānī dentēs Quīntī? ...
ūnus dēns Quīntī aeger est
13. Quid dīcit Quīntus? ...
'nōn dentem, sed pedem dolēre' dīcit
14. Quid medicus tangit? ...
medicus pedem Quīntī tangit
15. Quid sentit Quīntus et quid dīcit? ...
puer digitum medicī in pede sentit et 'pedem dolēre' dīcit

Exercitium 8

1. Iūlia bene canit, sed Mārcus eam male canere putat.

2. Quīntus mortuus nōn est, sed Syra putat Quīntum mortuum esse.

3. Iūlius et Aemilia medicum stultum esse putant.

4. Quīntus oculōs claudit neque dormit; Aemilia Quīntum oculōs claudere videt et eum dormīre putat.

5. Dāvus Mēdum putat nummōs Iūliī habēre.

6. Mēdus pretium ānulī nimis magnum esse putat.

7. Lȳdia putat ānulum gemmātum pulchrum esse.

8. Puerī nāsum Iūliae foedum esse putant atque dīcunt!

9. Via longa nōn est, sed servī quī lectīcam portant viam longam esse putant.

10. Rōmānī deum Neptūnum in marī vīvere putant; Mercurium autem putant inter caelum et terram volāre.

Exercitium 9

1. Servus Iūliī Tūsculum it atque medicum arcessit.

2. Servus cum medicō ad vīllam revenit [= rūrsus venit].

3. Medicus interrogat: "Quis aegrōtat [= aeger est]?"

4. Medicus linguam Quīntī spectat [= aspicit].

5. Medicus digitum in pedem puerī impōnit: medicus pedem eius tangit.

6. Quīntus digitum medicī in pede suō sentit.

7. Quīntus: "Ei! Pēs dolet!" Quīntus 'pedem dolēre' dīcit.

8. Medicus puerum oculōs claudere iubet, et cultrum sūmit.

9. Medicus cultrum ad bracchium Quīntī appōnit.

10. Puer sanguinem dē bracchiō fluere sentit; capillī horrent, cor palpitat.

11. Quīntus quiētus iacet nec [= neque] oculōs aperit; itaque Syra eum mortuum esse putat.

12. Māter gaudet [= laeta est] quod fīlius vīvit.

13. Aemilia sanguinem dē bracchiō Quīntī dēterget.

14. Iūlius: "Iam fīlius noster [= meus et tuus] nōn modo [= sōlum] pede, sed etiam bracchiō aeger est."

Exercitium 10

Exemplum:

Māter gaudet quod fīlius vīvit = Māter fīlium vīvere gaudet.

1. Quīntus gaudet quod medicus abest = Quīntus medicum abesse gaudet.

2. Lȳdia gaudet quod Mēdus Rōmam venit = Lȳdia Mēdum Rōmam venīre gaudet.

3. Iūlius gaudet quod Dāvus servus probus est = Iūlius Dāvum servum probum esse gaudet.

4. Lȳdia gaudet quod Mēdus pecūniam habet = Lȳdia Mēdum pecūniam habēre gaudet.

5. Aemilia gaudet quod Iūlius adest = Aemilia Iūlium adesse gaudet.

6. Pāstor gaudet quod ovis nigra vīvit = Pāstor ovem nigram vivere gaudet.

Exercitium 11

1. Cūr medicus Quīntum oculōs claudere iubet? ...

... quia puer cultrum medicī timet

2. Quid Aemilia tenet sub bracchiō Quīntī? ...

pōculum sub bracchiō eius tenet

3. Quid facit medicus? ...

medicus vēnam aperit

4. Cūr Quīntus horret? ...

... quia sanguinem fluere sentit

5. Cūr nōn potest movēre bracchium? ...

... quod pater bracchium eius tenet

6. Quid dē bracchiō in pōculum fluit? ...

sanguis in pōculum fluit

7. Cūr Syra putat Quīntum esse mortuum? ...

... quia puer oculōs nōn aperit

8. Quō medicus manum appōnit et quid sentit? ...

manum super pectus puerī appōnit et cor eius palpitāre sentit

9. Quid dīcit medicus? ...

medicus 'puerum spīrāre et cor eius palpitāre' dīcit

10. Cūr Syra gaudet? ...

Syra puerum vīvere gaudet

11. Quid Aemilia dē bracchiō Quīntī dēterget? ...

sanguinem dē bracchiō dēterget

12. Quid dīcit Quīntus? ...

Quīntus 'bracchium dolēre' dīcit

13. Quid Aemilia Syram arcessere iubet? ...

Syram aquam arcessere iubet

14. Cui Aemilia aquam dat? ...

Aemilia Quīntō aquam dat

15. Cūr Quīntus medicum abesse gaudet? ...

... quia medicum horret

Exercitium 12

Dēclīnātiō tertia: neutrum.

Exempla:

corpus, gen. sing. corpor|is

mar|e, gen. sing. mar|is

	Sing.	Plūr.	Sing.	Plūr.
1. Nōm.	corpus	corpor|a	mar|e	mar|ia
2. Acc.	corpus	corpor|a	mar|e	mar|ia
3. Gen.	corpor|is	corpor|um	mar|is	mar|ium
4. Dat.	corpor|ī	corpor|ibus	mar|ī	mar|ibus
5. Abl.	corpor|e	corpor|ibus	mar|ī	mar|ibus

6. 'Corpor|a' et 'mar|ia' nōminātīvus aut accūsātīvus plūrālis est.

7. 'Corpor|e' est ablātīvus singulāris.

8. 'Corpor|ī' est datīvus singulāris.

9. 'Corpor|ibus' et 'mar|ibus' est datīvus aut ablātīvus plūrālis.

10. 'Corporis' et 'mar|is' genetīvus singulāris est.

11. 'Corpor|um' et 'mar|ium' est genetīvus plūrālis.

12. 'Corpus' et 'mar|e' nōminātīvus aut accūsātīvus singulāris est.

13. 'Mar|ī' est datīvus aut ablātīvus singulāris.

Exercitium 13

Exemplum: Medicus 'Quīntum dormīre' dīcit: "Quīntus dormit."

1. 'Quīntum' nōn nōminātīvus, sed accūsātīvus est; 'dormīre' nōn indicātīvus, sed īnfīnītīvus est.

2. 'Quīntum dormīre' est accūsātīvus cum īnfīnītīvō.

3. Accūsātīvus cum īnfīnītīvō pōnitur apud haec verba: iubēre, dīcere, vidēre, audīre, sentīre, putāre, gaudēre, necesse est, cētera.

4. Mārcus Quīntum in arborem ascendere iubet :"In arborem ascende, Quīnte!"

5. Quīntus in terrā iacet nec sē movet; itaque Mārcus eum mortuum esse putat.

6. Mārcus clāmat. Iūlius Mārcum clāmāre audit et accurrere videt.

7. Mārcus: "Quīntus mortuus est." Mārcus dīcit 'Quīntum mortuum esse.'

8. Pater manum in pectus fīliī impōnit et cor eius palpitāre sentit.

9. Iūlius laetus est: pater fīlium vīvere gaudet.

10. Quīntus ambulāre nōn potest, ergō necesse est eum ā Iūliō portārī.

CAPITVLVM XII

Exercitium 1

Exemplum:

Mārcus ūnam sorōrem habet = Mārcō [dat.] ūna soror est.

1. Iūlius trēs līberōs habet = Iūliō trēs līberī sunt

2. Aemiliae ūnus frāter est = Aemilia ūnum frātrem habet

3. Dāvus multōs amīcōs habet = Dāvō sunt multī amīcī

4. Hominī improbō paucī sunt amīcī = homō improbus paucōs amīcōs habet

5. Homō duōs oculōs et duās aurēs habet = hominī duo oculī et duae aurēs sunt

6. Corporī hūmānō quattuor membra sunt = corpus hūmānum quattuor membra habet

7. Hominēs ālās nōn habent = hominibus ālae nōn sunt

8. Mercuriō ālae in pedibus sunt = Mercurius ālās in pedibus habet

9. Vir Rōmānus tria nōmina habet = virō Rōmānō tria nōmina sunt

10. Rōmānīs multī deī sunt = Rōmānī multōs deōs habent

Exercitium 2

1. Mārcō pater et māter, frāter et soror sunt.

2. Mārcus patrem et mātrem, frātrem et sorōrem habet.

3. Iūliae duo frātrēs sunt: Iūlia duōs frātrēs habet.

4. Nōmina frātrum sunt Mārcus et Quīntus.

5. Iūlia mātrī et frātribus suīs rosās ostendit.

6. Iūlia ā mātre et ā frātribus suīs discēdit.

7. Iūlia rosam dat patrī, pater fīliae ōsculum dat.

8. Iūlia patrem suum amat et ā patre suō amātur.

9. Avunculus nōn est frāter patris, sed mātris.

10. Puerī Rōmānī nōn ā mātribus, sed ā patribus suīs nōmina habent.

Exercitium 3

1. Mārcō et Quīntō ūna soror est: Iūlia.

2. Iūliae duo frātrēs sunt: Mārcus et Quīntus.

3. Frāter Aemiliae, cui nōmen est 'Aemilius', avunculus līberōrum est.

4. 'Pūblius' praenōmen est; alia praenōmina sunt 'Lūcius', 'Mārcus', 'Quīntus', 'Sextus', 'Titus'.

5. 'Paulus' nōn praenōmen, sed cognōmen est.

6. Aemilia trīstis est quod frāter eius procul ab eā abest.

7. Līberī: "Ubi est avunculus noster?" Iūlius: "Avunculus vester est in Germāniā."

8. Mīles Rōmānus pīlum et gladium et scūtum fert [= portat].

9. Scūtum et gladius et pīlum sunt arma mīlitis Rōmānī.

10. Mīles est vir armātus [= quī arma fert].

Exercitium 4

1. Quis est frāter Mārcī? ...

Quīntus est frāter Mārcī

2. Quae soror Mārcī est? ...

soror Mārcī est Iūlia

3. Quot frātrēs sunt Iūliae? ...

Iūliae duo frātrēs sunt

4. Mārcō quot sorōrēs sunt? ...

Mārcō ūna soror est

5. Quot fīliī et quot fīliae Iūliō sunt? ...

Iūliō sunt duo fīliī et ūna fīlia

6. Quod nōmen est fīliae? ...

Fīliae nōmen est Iūlia

7. Fīliīs quae nōmina sunt? ...

fīliīs nōmina sunt Mārcus et Quīntus

8. Quod nōmen mātrī est? ...

mātrī nōmen est Aemilia

9. Quod cognōmen est Iūliō? ...

eī cognōmen est Balbus

10. Num 'Quīntus' cognōmen est? ...

'Quīntus' nōn cognōmen, sed praenōmen est

11. Quot nōmina virō Rōmanō sunt? ...

virō Rōmānō tria nōmina sunt

12. Quid est praenōmen? ...

praenōmen est nōmen prīmum

13. Quis est avunculus Mārcī? ...

Aemilius avunculus Mārcī est

14. Quot frātrēs sunt Aemiliae? ...

Aemiliae ūnus frāter est

15. Cūr Aemilia trīstis est? ...

trīstis est quod frāter eius abest

16. Ubi est frāter Aemiliae? ...

frāter eius in Germāniā est

17. Estne Aemilius mercātor Rōmānus? ...

nōn mercātor, sed mīles est

18. Quid mīles Rōmānus fert? ...

mīles Rōmānus arma fert

Exercitium 5

1. Mīles Rōmānus bona arma fert.

2. Bona arma ā mīlite Rōmānō feruntur.

3. Arma mīlitis Rōmānī sunt gladius, scūtum, pīlum.

4. In Germāniā multī mīlitēs sunt, et peditēs et equitēs.

5. In Germānia magnus numerus mīlitum est, et peditum et equitum.

6. Eques est mīles quī equō vehitur; quī pedibus it pedes est.

7. Pīlum peditis Rōmānī nōn tam longum est quam hasta equitis.

8. Pīlum ā pedite Rōmānō fertur, hasta ab equite fertur.

Exercitium 6

Exempla:

Gladius longus. Gladius brevis.

Hasta longa. Hasta brevis.

1. Gladius longus nōn tam levis est quam gladius brevis.
2. Hasta brevis nōn tam gravis est quam hasta longa.
3. Saccus Lēandrī magnus et gravis est, saccus Syrī est parvus et levis.
4. Quīntus est puer crassus, Mārcus puer tenuis est.
5. Aemilia nōn laeta, sed trīstis est.
6. Capillus Aemiliae nōn brevis, sed longus est.
7. Haec līnea longa et tenuis est: ——————————————
8. Haec līnea brevis est: –

Exercitium 7

Exemplum:

Mārcus nōn tam crassus nec tam gravis est quam Quīntus

= Quīntus crassior et gravior est quam Mārcus.

1. Via Latīna nōn tam longa est quam via Appia = via Appia longior est quam via Latīna
2. Cornēlius nōn tam pecūniōsus est quam Iūlius = Iūlius pecūniōsior est quam Cornēlius
3. Syra nōn tam fōrmōsa est quam Aemilia = Aemilia fōrmōsior est quam Syra
4. Quīntus nōn tam levis est quam Mārcus = Mārcus levior est quam Quīntus
5. Saccus Syrī nōn tam gravis est quam Lēandrī = saccus Lēandrī gravior est quam Syrī
6. Capillus Iūliae nōn tam brevis est quam Mārcī = capillus Mārcī brevior est quam Iūliae
7. Mēdus nōn tam probus est quam Dāvus = Dāvus probior est quam Mēdus
8. Digitus quārtus nōn tam longus neque tam crassus est quam digitus medius = digitus medius longior et crassior est quam digitus quārtus

Exercitium 8

Exemplum:

Prōvincia est pars imperiī Rōmānī.

1. Littera est pars vocābulī.

2. Umerī et pectus partēs corporis hūmānī sunt.

3. Manus pars bracchiī est ut pēs pars crūris est.

4. Ātrium et peristȳlum partēs vīllae Rōmānae sunt.

5. Praenōmen est pars prīma nōminis Rōmānī.

6. Aegyptus pars Āfricae est.

7. Magna pars Eurōpae est in imperiō Rōmānō.

Exercitium 9

Exempla:

Pater fīliō et fīliae imperat; līberī patrī suō pārent.

1. Dominus servō suō imperat; servus dominō suō pāret.

2. Domina ancillae suae imperat; ancilla dominae suae pāret.

3. Iūlius Mēdō imperat: "Venī!" nec Mēdus eī pāret.

4. Mārcus sorōrī suae imperat: "Tacē, Iūlia!" neque ea frātrī suō pāret.

5. Dux mīlitibus imperat, mīlitēs ducī suō pārent.

6. Rōmānī Gallīs imperant, Gallī Rōmānīs pārent.

7. Cui dominō Dāvus pāret? Dominus cui Dāvus pāret est Iūlius.

Exercitium 10

1. In Germāniā magnus exercitus Rōmānus est.

2. In exercitū Rōmānō multī mīlitēs sunt.

3. Dux exercitūs est quī exercitum dūcit.

4. Dux Rōmānus magnō exercituī imperat.

5. In Germāniā et in Britanniā magnī exercitūs Rōmānī sunt, quī contrā magnōs hostium exercitūs pugnant.

6. Graecī et Gallī iam exercitibus Rōmānīs pārent.

7. Multī Graecī et Gallī in exercitibus Rōmānīs mīlitant.

8. Ducēs exercituum Rōmānōrum ā mīlitibus suīs nōn discēdunt.

Exercitium 11

1. Mīlitēs pīlīs et gladiīs pugnant.

2. Puerī nōn armīs, sed pugnīs pugnant.

3. Eques est mīles quī ex equō pugnat.

4. Aemilius nōn eques, sed pedes est.

5. Gladius quī ā pedite fertur nōn est longus et gravis, sed brevis et levis.

6. Gladius brevis nōn gravis, sed levis est.

7. Pedes hastam longam et gravem ferre [= portāre] nōn potest.

8. Graecī et Rōmānī nōn sunt hominēs barbarī ut Germānī ac [= atque] Britannī, quī Germāniam et Britanniam incolunt.

9. Prōvincia est pars imperiī Rōmānī.

10. Dānuvius flūmen Germāniam ab imperiō Rōmānō dīvidit.

11. Dānuvius est fīnis imperiī Rōmānī.

12. Graecia patria Graecōrum est.

13. Rōmānī contrā Germānōs pugnant; Germānī enim hostēs Rōmānōrum sunt, ac bellum est inter Rōmānōs et Germānōs.

14. Hostēs exercitum Rōmānum metuunt [= timent].

15. Quī exercituī imperat dux exercitūs est.

16. Hispānī, quī in exercitū Rōmānō mīlitant [= mīlitēs sunt], nōn modo gladiōs et pīla, sed etiam arcūs sagittāsque ferunt.

Exercitium 12

1. Quid agunt mīlitēs Rōmānī in Germāniā? ...

mīlitēs in Germāniā pugnant

2. Quibus armīs mīlitēs Rōmānī pugnant? ...

mīlitēs pīlīs et gladiīs pugnant

3. Quid est eques? ...

est mīles quī ex equite pugnat

4. Aemiliusne eques est? ...

Aemilius pedes est, nōn eques

5. Quam longum est pīlum Aemiliī? ...

pīlum eius sex pedēs longum est

6. Estne longus gladius eius? ...

gladius eius brevis est

7. Suntne Graecī hominēs barbarī? ...

Graecī hominēs barbarī nōn sunt

8. Estne Germānia prōvincia Rōmāna? ...

prōvincia Rōmāna nōn est

9. Quid est prōvincia? ...

prōvincia est pars imperiī Rōmānī

10. Quam prōvinciam Gallī incolunt? ...

Gallī Galliam incolunt

11. Quod flūmen Germāniam ā Galliā dīvidit? ...

flūmen Rhēnus Galliam ā Germāniā dīvidit

12. Quae flūmina fīnēs sunt imperiī Rōmānī? ...

Rhēnus et Dānuvius

13. Quae est patria Germānōrum? ...

eōrum patria est Germānia

14. Cūr Rōmānī contrā Germānōs pugnant? ...

... quia Germānī hostēs Rōmānōrum sunt

15. Cui exercitus Rōmānus pāret? ...

exercitus ducī suō pāret

Exercitium 13

1. Aemilius, quī mīles fortis est, gladium brevem et levem fert.

2. Mīlitī fortī Rōmānō est gladius brevis et levis.

3. Mīles Rōmānus gladiō brevī et levī armātus est.

4. Rōmānī, mīlitēs fortēs, gladiōs brevēs et levēs ferunt.

5. Mīlitibus fortibus Rōmānīs sunt gladiī brevēs et levēs.

6. Mīlitēs Rōmānī gladiīs brevibus et levibus armātī sunt.

7. In ānulō Aemiliae est gemma magna et gravis.

8. Aemilia gemmam habet magnam et gravem.

9. Aemilia gemmā magnā et gravī ōrnātur.

10. Pretium gemmae magnae et gravis est sēstertiī centum.

11. Aemilia multās gemmās gravēs habet.

12. Magnum est pretium gemmārum gravium.

13. 'Ōs' vocābulum nōn longum, sed breve est; in hōc vocābulō brevī duae litterae sunt.

14. 'Ōs' et 'pēs' vocābula nōn longa, sed brevia sunt.

Exercitium 14

1. Via Appia longior et lātior est quam via Latīna.

2. Multae viae longiōrēs et lātiōrēs sunt quam via Latīna.

3. Saccus Syrī levior est quam saccus Lēandrī.

4. Syrus saccum leviōrem portat quam Lēander.

5. In saccō leviōre sunt pira.

6. 'Iūlius' nōmen brevius est quam 'Cornēlius'.

7. Litterae Graecae nōmina longiōra habent quam Latīnae.

8. Rōmānī pīlīs breviōribus et leviōribus pugnant quam Germānī.

9. Mīlitēs Rōmānī fortiōrēs sunt quam Germānī et ducī fortiōrī pārent quam illī.

10. Dux Rōmānus fortior est quam dux Germānōrum et mīlitibus fortiōribus imperat quam ille.

11. Cornēlius equum fōrmōsiōrem habet quam Iūlius; Cornēlius dominus equī fōrmōsiōris est.

12. Ōrnāmenta fēminam pulchram pulchriōrem facere possunt.

13. Quod ōrnāmentum pulchrius est quam ānulus gemmātus?

Exercitium 15

1. Mīlitēs Rōmānī in castrīs habitant.

2. Circum castra vāllum et fossa est.

3. Vāllum prope X pedēs altum est et duo mīlia [MM] passuum longum.

4. Via quae castra in duās partēs dīvidit centum pedēs lāta est.

5. Cum hostēs castra oppugnant, Rōmānī vāllum ascendunt.

6. Hostēs castra expugnāre nōn possunt, quia Rōmānī castra dēfendunt.

7. Hostēs pīla in castra iacere nōn possunt.

8. Equitātus [= equitēs] in hostēs impetum facit.

9. Hostēs arma ad terram iaciunt ac fugiunt.

10. Mīles fortis nōn fugit et sine metū [= timōre] hostēs oppugnat.

11. Rhēnus est flūmen longum et lātum et altum.

Exercitium 16

1. Ubi habitant mīlitēs Rōmānī? ...

mīlitēs in castrīs habitant

2. Ubi sunt castra in quibus Aemilius habitat? ...

castra eius sunt prope fīnem imperiī Rōmānī

3. Cūr nūllī puerī in castrīs habitant? ...

... quia puerī mīlitāre nōn possunt

4. Quid est circum castra Rōmāna? ...

circum castra est vāllum et fossa

5. Quam altum et quam longum est vāllum castrōrum? ...

vāllum est decem pedēs altum et duo mīlia passuum longum

6. Quot portae in castra dūcunt? ...

duae portae in castra dūcunt

7. Quam lāta via est inter duās portās? ...

ea via centum pedēs lāta est

8. Cum castra oppugnantur, quid agunt Rōmānī? ...

Rōmānī castra dēfendunt

9. Quibus armīs vāllum dēfenditur? ...

vāllum pīlīs et gladiīs dēfenditur

10. Quid facit mīles fortis quī ab hoste petitur? ...

mīles fortis sē dēfendit et impetum in hostem facit

11. Quō fugiunt Germānī? ...

Germānī in silvās fugiunt

12. Cūr pīla Germānōrum procul iacī nōn possunt? ...

... quod nimis longa et gravia sunt

13. Cūr Germānia ā Rōmānīs nōn expugnātur? ...

nōn modo armīs, sed etiam flūminibus et montibus dēfenditur Germānia

14. Num Rōma ab hostibus expugnārī potest? ...

Rōma ab hostibus expugnārī nōn potest

Exercitium 17

Dēclīnātiō quārta

Exemplum: man|us, gen. sing. -ūs, fēm.

	Sing.	Plūr.
1. Nōm.	man|us	man|ūs
2. Acc.	man|um	man|ūs
3. Gen.	man|ūs	man|uum
4. Dat.	man|uī	man|ibus
5. Abl.	man|ū	man|ibus

6. 'Manibus' est datīvus aut ablātīvus plūrālis.

7. 'Manū' ablātīvus singulāris est.

8. 'Manuī' datīvus singulāris est.

9. 'Manum' accūsātīvus singulāris est.

10. 'Manus' nōminātīvus singulāris est.

11. 'Manūs' est genetīvus singulāris aut nōminātīvus aut accūsātīvus plūrālis.

12. 'Manuum' genetīvus plūrālis est.

Exercitium 18

Exemplum: Mūrus altus. Porta alta. Vāllum altum.

1. 'Alt|us -a -um' est adiectīvum prīmae et secundae dēclīnātiōnis.

	Singulāris			Plūrālis		
	Masc.	Fēm.	Neutr.	Masc.	Fēm.	Neutr.
2. Nōm.	alt|us	alt|a	alt|um	alt|i	alt|ae	alt|a
3. Acc.	alt|um	alt|am	alt|um	alt|ōs	alt|ās	alt|a
4. Gen.	alt|ī	alt|ae	alt|ī	alt|ōrum	alt|ārum	alt|ōrun
5. Dat.	alt|ō	alt|ae	alt|ō	alt|īs	alt|īs	alt|īs
6. Abl.	alt|ō	alt|ā	alt|ō	alt|īs	alt|īs	alt|īs
7. Voc.	alt|e					

8. Masculīnum: 'alt|us' est nōminātīvus singulāris , 'alt|um' accūsātīvus singulāris, 'alt|ōs' accūsātīvus plūrālis, 'alt|ī' genetīvus singulāris aut nōminātīvus plūrālis, 'alt|e' vocātīvus singulāris.

_____________ _____________ .

9. Fēminīnum: *alta* est nominativus singulāris, *altam* accusativus singularis, *altās* accusativus pluralis, *altae* genetivus aut dativus singulāris aut nominativus plūrālis, *altā* ablativus singularis, *altārum* genetivus pluralis.

10. Neutrum: *altum* est nominativus aut accusativus singulāris, *alta* nominativus aut accusativus plūrālis.

11. Masculīnum et neutrum: *altī* est genetivus singulāris, *altō* dativus aut ablativus singulāris, *altōrum* genetivus pluralis.

12. *Altīs* dativus aut ablativus plūrālis est.

Exercitium 19

Exemplum:

Saccus gravis. Gemma gravis. Scūtum grave.

1. 'Grav|is -e' est adiectīvum tertiae dēclīnātiōnis.

	Singulāris		Plūrālis	
	Masc./Fēm.	Neutr.	Masc./Fēm.	Neutr.
2. Nōm.	grav|is	grav|e	grav|ēs	grav|ia
3. Acc.	grav|em	grav|e	grav|ēs	grav|ia
4. Gen.	grav|is	grav|is	grav|ium	grav|ium
5. Dat.	grav|ī	grav|ī	grav|ibus	grav|ibus
6. Abl.	grav|ī	grav|ī	grav|ibus	grav|ibus

7. Masculīnum et fēminīnum: 'grav|is' est nōminātīvus aut genetīvus singulāris, 'grav|em' accūsātīvus singulāris, 'grav|ēs' nōminātīvus aut accūsātīvus plūrālis.

8. Neutrum: 'grav|e' est nōminātīvus aut accūsātīvus singulāris, 'grav|ia' nōminātīvus aut accūsātīvus plūrālis, 'grav|is' genetīvus singulāris.

9. Grav|ī datīvus aut ablātīvus singulāris est.

10. 'Grav|ibus' datīvus aut ablātīvus plūrālis est.

11. 'Grav|ium' genetīvus plūrālis est.

Exercitium 20

Comparātīvus.

Exemplum: Gladius longior. Via longior. Pīlum longius.

1. 'Longior -ius -iōr|is' est comparātīvus adiectīvī.

	Singulāris		Plūrālis	
	Masc./Fēm.	Neutr.	Masc./Fēm.	Neutr.
2. Nōm.	longior	longius	longiōrēs	longiōra
3. Acc.	longiōrem	longius	longiōrēs	longiōra
4. Gen.	longiōris	longiōris	longiōrum	longiōrum
5. Dat.	longiōrī	longiōrī	longiōribus	longiōribus
6. Abl.	longiōre	longiōre	longiōribus	longiōribus

7. Masculīnum et fēminīnum: 'longior' est nōminātīvus singulāris, 'longiōr|em' accūsātīvus singulāris, 'longiōr|ēs' nōminātīvus aut accūsātīvus plūrālis.

8. Neutrum: 'longius' est nōminātīvus aut accūsātīvus singulāris, 'longiōr|a' nōminātīvus aut accūsātīvus plūrālis.

9. 'Longiōr|e' ablātīvus singulāris est.

10. 'Longiōr|ī' datīvus singulāris est.

11. 'Longiōr|ibus' est datīvus aut ablātīvus plūrālis.

12. 'Longiōr|is' genetīvus singulāris est.

13. 'Longiōr|um' est genetīvus plūrālis.

CAPITVLVM XIII

Exercitium 1

1. Iānuārius mēnsis prīmus [I] est.

2. Februārius mēnsis secundus [II].

3. Mārtius mēnsis tertius [III].

4. Aprīlis mēnsis quārtus [IV].

5. Māius mēnsis quīntus [V].

6. Iūnius mēnsis sextus [VI].

7. Iūlius mēnsis septimus [VII].

8. Augustus mēnsis octāvus [VIII].

9. September mēnsis nōnus [IX].

10. Octōber mēnsis decimus [X].

11. November mēnsis ūndecimus [XI].

12. December mēnsis duodecimus [XII].

Exercitium 2

1. Annus dīviditur in duodecim mēnsēs.

2. Iānuārius mēnsis annī prīmus est.

3. December est mēnsis annī postrēmus.

4. In annō sunt trecentī sexāgintā quīnque [CCCLXV] diēs.

5. Saeculum est centum annī; duo saecula sunt ducentī [CC] annī.

6. Centum annī vel saeculum est longum tempus.

7. Mēnsis Iānuārius ā deō Iānō nōminātur [= nōmen habet].

8. Iānus est deus Rōmānus cui duae faciēs sunt.

9. Tempore antīquō Mārtius mēnsis prīmus erat.

10. Tunc [= illō tempore] Octōber mēnsis octāvus erat.

11. Nunc autem Iānuārius est mēnsis prīmus; Octōber igitur [= ergō Octōber] mēnsis decimus est.

12. Februārius duodētrīgintā [XXVIII] aut ūndētrīgintā [XXIX] diēs habet.

13. Cēterī ūndecim [XI] mēnsēs longiōrēs sunt.

14. Aprīlis trīgintā [XXX] diēs habet; item Iūnius XXX diēs habet.

15. Sex mēnsēs sunt dīmidia pars annī.

16. Prīma pars diēī est māne.

17. Diēs est tempus ā māne ad vesperum.

18. Nox est tempus ā vesperō ad māne.

19. Māne est initium diēī, vesper fīnis diēī est.

20. Diēs in duodecim hōrās dīviditur.

21. Hōra sexta, quae merīdiēs nōminātur, diem dīvidit in duās aequās partēs.

Exercitium 3

1. Quot mēnsēs sunt in annō? ...

in annō sunt duodecim mēnsēs

2. Quī mēnsis annī prīmus est? ...

Iānuārius est mēnsis annī prīmus

3. Quis est mēnsis annī postrēmus? ...

mēnsis postrēmus est December

4. Quot diēs habet annus? ...

annus CCCLXV diēs habet

5. Num homō ducentōs annōs vīvere potest? ...

nēmō ducentōs annōs vīvere potest

6. Ā quō nōminātur mēnsis Iānuārius? ...

Iānuārius ā deō Iānō nōminātur

7. Quot oculōs et quot ōra habet deus Iānus? ...

quattuor oculōs et duo ōra habet

8. Cūr mēnsis nōnus September nōminātur? ...

... quia antīquīs temporibus Mārtius mēnsis prīmus erat

9. Quot diēs habet mēnsis September? ...

September trīgintā diēs habet

10. Quam longus est mēnsis Octōber? ...

ūnum et trīgintā diēs longus est

11. Estne mēnsis Februārius longior quam Mārtius? ...

Februārius brevior est quam Mārtius

12. Quae est pars diēī postrēma? ...

pars diēī postrēma est vesper

13. In quot hōrās dīviditur diēs? ...

diēs in duodecim hōrās dīviditur

14. Quot mēnsēs sunt dīmidia pars annī? ...

sex mēnsēs

Exercitium 4

Exemplum:

Iūlia duās hōrās dormit.

1. Homō sānus centum annōs vīvere potest.

2. Nēmō ducentōs annōs vīvit.

3. Canis duodecim annōs vīvere potest.

4. Mēdus multās hōrās in sōle ambulat.

5. Aemilius sex mēnsēs mīlitat in Germāniā.

6. Quīntus trēs diēs et trēs noctēs in lectō iacet.

7. Mīlitēs paucās hōrās dormiunt.

Exercitium 5

1. Nūllus mēnsis brevior est quam Februārius: is mēnsis annī brevissimus est.

2. Sōl est stēlla clārior quam cēterae stēllae: sōl stēlla caelī clārissima est.

3. Nīlus flūmen longius et lātius est quam cētera flūmina Āfricae: id flūmen Āfricae longissimum et lātissimum est.

4. Nūllī mīlitēs fortiōrēs sunt quam Rōmānī: Rōmānī mīlitēs fortissimī sunt.

5. Tiberius praenōmen longius est quam cētera praenōmina: id praenōmen Latīnum longissimum est.

6. Verba 'īre' et 'dare' breviōra sunt quam cētera verba Latīna: ea verba Latīna brevissima sunt.

7. Merīdiē sōl altior in caelō est quam ante et post merīdiem: merīdiē sōl altissimus est in caelō.

8. Mēdus: "Nūlla fēmina tam fōrmōsa aut tam proba est quam Lȳdia: ea fēmina fōrmōsissima ac probissima est!"

Exercitium 6

1. Diēs est tempus ā māne ad vesperum.

2. Hōra sexta diem dīvidit in duās aequās partēs.

3. Vesper est fīnis diēī.

4. Diēī prīmō mēnsis Septembris nōmen est kalendae Septembrēs.

5, Diē quīntō decimō post lūnam novam lūna plēna est.

6. Aestāte diēs longiōrēs sunt quam noctēs.

7. Annus CCCLXV diēs habet; numerus diērum magnus est.

8. Prīmīs mēnsium diēbus nōmina sunt kalendae Iānuāriae, Februāriae, Mārtiae, Aprīlēs, cētera.

9. Mēnsēs incipiunt ab iīs diēbus quī kalendae dīcuntur.

Exercitium 7

1. Nōn sōl, sed lūna et stēllae lūcent nocte.

2. Lūx lūnae ā sōle venit; itaque lūna nōn tam clāra est quam sōl.

3. Sōl terram et lūnam lūce suā illūstrat.

4. Nōn tōta lūna lūce sōlis illūstrātur; ea pars lūnae quae nōn illūstrātur obscūra est.

5. Cum lūna nova est, exigua [= parva] pars eius vidētur.

6. Lūna dīmidia fōrmam habet litterae D.

7. Diēs mēnsis I dīcitur kalendae, V aut VII nōnae, VIII aut XV īdūs.

8. A. d. VIII kal. Apr. et a. d. VIII kal. Oct. aequinoctia dīcuntur, nam iīs diēbus nox aequa est atque diēs.

9. Tempora annī sunt vēr, aestās, autumnus, hiems.

10. Vēr ā Mārtiō, autumnus ā Septembrī incipit [= initium facit].

11. Aestās nōn tempus frīgidum, sed tempus calidum est.

12. Eō tempore multī Rōmānī urbem [: Rōmam] relinquunt.

13. Hieme nōn sōlum imber, sed etiam nix dē nūbibus cadit.

14. Hieme lacūs Germāniae glaciē operiuntur.

15. Germānī puerī super glaciem lacuum lūdunt.

Exercitium 8

1. Unde venit lūx lūnae? ...

lūx lūnae ā sōle venit

2. Num tōta lūna sōle illūstrātur? ...

pars lūnae tantum sōle illūstrātur.

3. Quis dīcitur diēs tertius decimus mēnsis Aprīlis? ...

is diēs dīcitur 'nōnae Aprīlēs'

4. Quō mēnse longissimī sunt diēs? ...

mēnse Iūniō diēs longissimī sunt

5. Quae sunt quattuor tempora annī? ...

sunt aestās, hiems, vēr, autumnus

6. Ā quō mēnse incipit annus? ...

annus ā mēnse Iānuāriō incipit

7. Quod annī tempus incipit ā mēnse Decembrī? ...

ā Decembrī incipit hiems

8. Quī mēnsis annī frīgidissimus est? ...

mēnsis frīgidissimus est Iānuārius

9. Cūr multī hominēs urbem relinquunt aestāte? ...

... quia aestās tempus calidissimum est

10. Quandō folia dē arboribus cadunt? ...

autumnō folia dē arboribus cadunt

11. Quandō arborēs novīs foliīs ōrnantur? ...

vēre arborēs novīs foliīs ōrnantur

12. Quī diēs annī brevissimus est? ...

diēs brevissimus est ante diem octāvum kalendās Iānuāriās

Exercitium 9

1. Antīquīs temporibus Mārtius mēnsis prīmus erat.

2. September, quī nunc mēnsis nōnus est, tunc mēnsis septimus erat.

3. Tunc Rōma urbs nōn tam pulchra erat quam nunc est.

4. Tunc Rōmānī pauciōres erant quam nunc sunt.

5. Ante tempora Iūliī Caesaris mēnsī septimō nōmen erat Quīntīlis.

6. In Galliā Iūlius Caesar dux exercitūs Rōmānī erat.

7. Tunc Gallī hostēs Rōmānōrum erant, neque enim prōvincia Rōmāna erat Gallia.

Exercitium 10

1. Aestāte diēs longiōrēs sunt quam hieme.

2. Mēnse Mārtiō et mēnse Septembrī diēs aequī sunt ac noctēs.

3. Hōrā sextā vel merīdiē sōl altissimus est.

4. Quandō lūcet lūna? Lūna nocte lūcet.

5. Diē octāvō post lūnam novam lūna dīmidia est.

6. Vēre arborēs novīs foliīs ōrnantur.

7. Eō tempore avēs nīdōs faciunt.

Exercitium 11

1. Estne Quīntus in cubiculō suō? ...

Quīntus in cubiculō suō est

2. Estne obscūrum cubiculum Quīntī? ...

obscūrum nōn est, lūce sōlis illūstrātur cubiculum

3. Cūr Aemilia fenestram claudit? ...

... quod sōl lūcet et āēr calidus est

4 Cūr Quīntus hōrās longās esse putat? ...

... quia tōtum diem in lectō iacet

5 Quod tempus est annī? ...

vēr est

6. Ā quō nōminātur mēnsis Iūlius? ...

mēnsis Iūlius nōminātur ā Iūliō Caesare

7. Quod nōmen eī mēnsī erat ante tempus Caesaris? ...

tunc eī mēnsī nōmen erat Quīntīlis

8. Num Iūlius vel Quīntīlis mēnsis quīntus est? ...

nōn quīntus sed septimus est mēnsis Iūlius

9. Cūr Quīntus dormīre nōn potest? ...

... quia aeger est et pēs dolet

10. Ubi sōl lūcet cum nox est in Italiā? ...

nocte sōl in aliīs terrīs lūcet

11. Quandō hominēs dormiunt? ...

hominēs dormiunt nocte

12. Quae urbs est caput imperiī Rōmānī? ...

caput imperiī est urbs Rōma

Exercitium 12

Dēclīnātiō quīnta

Exemplum: di|ēs, gen. sing. -ēī, m.

	Sing.	Plūr.
1. Nōm.	diēs	diēs
2. Acc.	diem	diēs
3. Gen.	diēī	diērum
4. Dat.	diēī	diēbus
5. Abl.	diē	diēbus

6. 'Diē' est ablātīvus singulāris.

7. 'Diēbus' datīvus aut ablātīvus plūrālis est.

8. 'Diēī' est genetīvus aut datīvus singulāris.

9. 'Diem' accūsātīvus singulāris est.

10. 'Diērum' genetīvus plūrālis est.

11. 'Diēs' est nōminātīvus singulāris aut nōminātīvus aut accūsātīvus plūrālis.

Exercitium 13

Exempla:

Februārius mēnsis brevis est, brevior quam cēterī mēnsēs:

Februārius mēnsis annī brevissimus est.

1. Brev|is -e positīvus est; brevior -ius comparātīvus est; brevissim|us -a -um est superlātīvus.

	Masc.	Fēm.	Neutr.
2. Pos.	altus	alta	altum
3. Comp.	altior	altior	altius
4. Sup.	altissimus	altissima	altissimum
5. Pos.	brevis	brevis	breve
6. Comp.	brevior	brevior	brevius
7. Sup.	brevissimus	brevissima	brevissimum

CAPITVLVM XIV

Exercitium 1

Exempla:

Uter servus, Dāvusne an Mēdus?

Uterque servus: et Dāvus et Mēdus.

Alter servus: aut Dāvus aut Mēdus.

Neuter servus: nec Dāvus nec Mēdus.

1. Duo puerī in hortum eunt, alter puer ambulat, alter currit.

2. Uter ē duōbus puerīs currit? Quīntus currit. Uter ambulat? Mārcus ambulat.

3. Iūlius: "Curre, Mārce!" Iam uterque puer currit, et Mārcus et Quīntus; neuter puer ambulat, nec Mārcus nec Quīntus.

4. Aemilia et Lȳdia sunt duae fēminae: altera fēmina Rōmāna est, altera Graeca.

5. Utra ē duābus fēminīs est Graeca? Lȳdia est Graeca.

6. Utraque fēmina pulchra est, et Aemilia et Lȳdia; neutra fēmina foeda est, nec Aemilia nec Lȳdia.

7. Nīlus et Rhēnus sunt duo flūmina: alterum flūmen in Āfricā est, alterum in Eurōpā.

8. Utrum ē duōbus flūminibus in Āfricā est, Nīlusne an Rhēnus? Nīlus in Āfricā est.

9. Utrumque flūmen magnum est, et Nīlus et Rhēnus; neutrum flūmen parvum est, nec Nīlus nec Rhēnus.

Exercitium 2

1. Uterque puer in lectō cubat [= iacet].

2. Uter puer dormit, Mārcusne an Quīntus?

3. Mārcus dormit, sed Quīntus vigilat.

4. Mārcus nōn aegrōtat, sed valet.

5. Āēr frīgidus per fenestram apertam intrat.

6. Fenestra Quīntī nōn aperta, sed clausa est.

7. Puer vigilāns gallum canere audit: "Cucurrū!"

8. Dāvus: "Quōmodo pēs tuus sē habet hodiē [= hōc diē]?"

9. Quīntus: "Pēs male sē habet. Dā mihi aquam, Dāve!" Dāvus eī aquam dat.

Exercitium 3

1. Cūr Mārcus quiētus in lectō suō cubat? ...

... quia bene dormit

2. Cūr alter puer vigilat nec dormīre potest? ...

... quod pēs eī dolet

3. Uter ē duōbus puerīs aegrōtat? ...

Quīntus est puer quī aegrōtat

4. Pēsne sōlum dolet Quīntō? ...

nōn sōlum pēs, sed etiam caput et bracchium dolet

5. Suntne magna cubicula puerōrum? ...

cubicula eōrum parva sunt

6. Uter puer fenestrā apertā dormit? ...
Mārcus fenestrā apertā dormit
7. Quid per fenestram apertam intrat? ...
āēr frīgidus per fenestram intrat
8. Cūr fenestra Quīntī clausa est? ...
... quia puer aegrōtat
9 . Quid audit Quīntus? ...
Quīntus gallum canentem audit
10. Cūr Mārcus gallum nōn audit? ...
is gallum nōn audit quia dormit
11. Quid gallus canēns salūtat? ...
gallus canēns novum diem salūtat
12. Quem vocat Quīntus? ...
Quīntus Dāvum vocat
13. Quōmodo sē habet pēs Quīntī hodiē? ...
pēs eius male sē habet
14. Cūr Quīntus noctem longam esse putat? ...
quia tōtam noctem vigilat
15. Quid Dāvus puerō aegrō dat? ...
Dāvus eī aquam dat

Exercitium 4

Exempla:

Servus ambulāns = quī ambulat; servī ambulantēs = quī ambulant.

Membrum dolēns = quod dolet; membra dolentia = quae dolent.

Puella canēns = quae canit; puellae canentēs = quae canunt.

Puer dormiēns = quī dormit; puerī dormientēs = quī dormiunt.

1. Puella plōrāns [= quae plōrat]; puellae plōrantēs [= quae plōrant].

2. Puer rīdēns [= quī rīdet]; puerī rīdentēs [= quī rīdent].

3. Cor palpitāns [= quod palpitat]; corda palpitantia [= quae palpitant].

4. Equus currēns [= quī currit]; equī currentēs [= quī currunt].

5. Pāstor dormiēns [= quī dormit]; pāstōrēs dormientēs [= quī dormiunt].

6. Ovis errāns [= quae errat]; ovēs errantēs [= quae errant].

7. Canis lātrāns [= quī lātrat]; canēs lātrantēs [= quī lātrant].

8. Animal volāns [= quod volat]; animālia volantia [= quae volant].

9. Stēlla lūcēns [= quae lūcet]; stēllae lūcentēs [= quae lūcent].

Exercitium 5

1. Iam hōra prīma est, sed Mārcus adhūc dormit.

2. Servus clāmāns puerum dormientem excitat.

3. Mārcus ē lectō surgit ac servum aquam afferre iubet.

4. Servus eī aquam affert et Mārcus manūs lavat.

5. Iam manūs eius nōn sordidae, sed pūrae sunt.

6. Mārcus prīmum manūs, deinde faciem lavat.

7. Dāvus eum caput tōtum in aquam mergere iubet.

8. Māne [= hōrā prīmā] puer manūs et faciem aquā frīgidā lavat.

9. Quīntus, quī ante Mārcum surgere solet, hodiē nōn surgit, quod pēs et caput eī dolet.

10. "Mihi quoque caput dolet" inquit Mārcus, et Dāvus "Tibi caput nōn dolet!" inquit.

11. Mārcus frīget, quia āēr frīgidus est et corpus eius nūdum est.

12. Tunica et toga sunt vestīmenta Mārcī.

13. Mārcus vestīmenta sua ā servō poscit: "Dā mihi tunicam et togam, Dāve! Vestī mē!"

14. Mārcus prīmum tunicam, deinde togam induit.

Exercitium 6

1. Quō it Dāvus Quīntum relinquēns? ...

Dāvus ad Mārcum adit

2. Vigilatne Mārcus? ...

Mārcus dormit, nōn vigilat

3. Quōmodo Dāvus puerum excitat? ...

Dāvus magnā vōce clāmat

4. Quid Mārcus Dāvum afferre iubet? ...

Mārcus eum aquam afferre iubet

5. Estne calida aqua quam Dāvus affert? ...

aqua nōn calida, sed frīgida est

6. Quid Mārcus prīmum lavat? ...

Mārcus prīmum manūs lavat

7. Tōtumne corpus lavat Mārcus? ...

faciem et manūs sōlum lavat

8. Estne frīgida aqua quā Rōmānī post merīdiem lavantur? ...

post merīdiem Rōmānī aquā calidā lavantur

9. Cūr nōn surgit Quīntus? ...

nōn surgit quia pede aegrōtat

10. Doletne caput Mārcō? ...

Mārcō caput nōn dolet

11. Cūr Mārcus frīget? ...

Mārcus frīget quod nūdus est

12. Quid Mārcus ā Dāvō poscit? ...

vestīmenta sua ā servō poscit

13. Quae sunt vestīmenta Mārcī? ...

vestīmenta sunt tunica et toga

14. Num Dāvus Mārcum vestit? ...

Mārcus ipse sē vestit

Exercitium 7

1. Ancilla canēns et rīdēns ā puellā dormiente nōn audītur.

2. Puella dormiēns ancillam canentem et rīdentem nōn audit, sed servum clāmantem audit.

3. Servus clāmāns puellam dormientem excitat.

4. Puella dormiēns nōn ab ancillā canente et rīdente, sed ā servō clāmante excitātur.

5. Puella vōcem ancillae canentis et rīdentis nōn audit, sed vōcem servī clāmantis audit.

6. Ancillae canentēs et rīdentēs ā puellīs dormientibus nōn audiuntur.

7. Puellae dormientēs ancillās canentēs et rīdentēs nōn audiunt, sed servōs clāmantēs audiunt.

8. Servī clāmantēs puellās dormientēs excitant.

9. Puellae dormientēs nōn ab ancillīs canentibus et rīdentibus, sed ā servīs clāmantibus excitantur.

10. Puellae vōcēs ancillārum canentium et rīdentium nōn audiunt, sed vōcēs servōrum clāmantium audiunt.

11. Dāvus nōn puerō valentī, sed puerō aegrōtantī aquam dat.

12. Servus dominō imperantī pāret. Servī dominīs imperantibus pārent.

13. Quīntus nec crūs dolēns nec bracchium dolēns movet.

14. Puer aegrōtāns membra dolentia nōn movet.

15. Avēs animālia volantia sunt; ovis nōn est animal volāns.

Exercitium 8

1. Virī Rōmānī togam gerunt.

2. Mīles gladium gerit manū dextrā, scūtum manū sinistrā.

3. Vir togātus [= togam gerēns] mīlitāre nōn potest.

4. Mārcus, cui pedēs frīgent, calceōs induit.

5. Dāvus puerum sēcum venīre iubet: "Venī mēcum!"

6. In ātriō parentēs līberōs suōs exspectant.

7. Quīntus, quī multum ēsse solet, hodiē nihil ēsse potest.

8. Dāvus Mārcō librum et tabulam et stilum et rēgulam affert.

9. Iūlius: "Hodiē Mēdus tēcum īre nōn potest, Mārce."

10. Mēdus librum et tabulam et cēterās rēs Mārcī ferre solet.

11. Mārcus ipse nihil ferre solet praeter mālum.

12. Fīlius discēdēns "Valē, pater!" inquit.

Exercitium 9

1. Sine pecūniā nūlla rēs [= nihil] emī potest.

2. Mēdus Lȳdiae rem pulchram emit.

3. Pretium eius reī est centum sēstertiī.

4. Eī reī nōmen est 'ānulus gemmātus'.

5. Eā rē ōrnātur digitus.

6. In tabernīs Rōmānīs multae rēs emī possunt.

7. Quī magnam pecūniam habet multās rēs emere potest.

8. Magnus est numerus eārum rērum quae Rōmae emī possunt.

9. Vīlla Iūliī multīs rēbus pulchrīs ōrnātur.

Exercitium 10

1. Quid est toga? ...

toga est vestīmentum Rōmānum

2. Utrum bracchium virō togātō nūdum est? ...

bracchium dextrum eī nūdum est

3. Cūr mīles Rōmānus togam nōn gerit? ...

... quia vir togātus mīlitāre nōn potest

4. Quid mīles manū sinistrā gerit? ...

manū sinistrā mīles scūtum gerit

5. Cūr Mārcus calceōs poscit? ...

calceōs poscit quia pedēs eī frīgent

6. Quō eunt Dāvus et Mārcus? ...

Dāvus et Mārcus in ātrium eunt

7. Quī sunt in ātriō? ...

illīc sunt parentēs Mārcī

8. Quid est ante parentēs? ...

ante eōs pānis et māla sunt

9. Quō it Aemilia? ...

Aemilia ad Quīntum it

10. Quid māter fīliō aegrōtantī dat? ...

fīliō aegrō pānem et mālum dat

11. Quid pater dat fīliō valentī? ...

eī pater pānem et duo māla dat

12. Quās rēs Mārcus sēcum fert? ...

librum, tabulam, stilum sēcum fert

13. Quis cum puerīs īre solet? ...

Mēdus cum iīs īre solet

14. Quid dīcit puer discēdēns? ...

puer discēdēns "Valē!" inquit

15. Quid pater respondet? ...

"valē, Mārce!" respondet pater

Exercitium 11

1. 'Vocā|re' īnfīnītīvus est. 'Vocā|ns' est participium.

2. 'Vidē|ns', 'pōn|ēns', 'audi|ēns' participia sunt.

3. Īnfīnītīvus: volā|re, participium: volāns.

4. Īnfīnītīvus: sedē|re, participium: sedēns.

5. Participium: dūc|ēns, īnfīnītīvus: dūcere.

6. Participium: veni|ēns, īnfīnītīvus: venīre.

7. Participium: faciēns, īnfīnītīvus: facere; item participium: capiēns, iaciēns, fugiēns, pariēns, accipiēns, aspiciēns; īnfīnītivus: capere, iacere, fugere, parere, accipere, aspicere.

8. Nōm.	volāns	volāns	volantēs	volantia
9. Acc.	volantem	volāns	volantēs	volantia
10. Gen.	volantis	volantis	volantium	volantium
11. Dat.	volantī	volantī	volantibus	volantibus
12. Abl.	volantī	volantī	volantibus	volantibus

	Singulāris		Plūrālis	
	Masc./Fēm.	Neutr.	Masc./Fēm.	Neutr.
13. Nōm.	canēns	canēns	canentēs	canentia
14. Acc.	canentem	canēns	canentēs	canentia
15. Gen.	canentis	canentis	canentium	canentium
16. Dat.	canentī	canentī	canentibus	canentibus
17. Abl.	canentī	canentī	canentibus	canentibus

18. Masculīnum et fēminīnum: 'volāns', 'canēns' est nōminātīvus singulāris, 'volant|em', 'canent|em' accūsātīvus singulāris, 'volant|ēs', 'canent|ēs' nōminātīvus aut accūsātīvus plūrālis.

19. Neutrum: 'volāns', 'canēns' nōminātīvus aut accūsātīvus singulāris est, volantia, 'canentia' nōminātīvus aut accūsātīvus plūrālis.

20. 'Volante', 'canente' ablātīvus singulāris est.

21. 'Volantī' datīvus (aut ablātīvus) singulāris est, 'volantibus' datīvus aut ablātīvus plūrālis.

22. 'Volantis', 'canentis' est genetīvus singulāris, 'volantium', 'canentium' genetīvus plūrālis.

CAPITVLVM XV

Exercitium 1

1. Dēlia: "Ego laeta sum. Nōnne tū laeta es, Syra?"
2. Syra: "Ego laeta nōn sum. Cūr tū laeta es, Dēlia?"
3. Dēlia: "Laeta sum, quia Lēander mē amat: is amīcus meus est; ego amīca eius sum."
4. Dēlia amīcum habet, itaque ea laeta est.
5. Dēlia: "Nōnne tū amīcum habēs, Syra?"
6. Syra: "Ego amīcum nōn habeō."
7. Dēlia: "Cūr amīcum nōn habēs?"
8. Syra: "Amīcum nōn habeō, quia fōrmōsa nōn sum. Tū amīcum habēs, quia fēmina fōrmōsa es."

Exercitium 2

1. Diodōrus magister Mārcī est; Mārcus discipulus Diodōrī est.
2. Diodōrus puerōs virgā verberat; eō modō magister discipulōs improbōs pūnīre solet.
3. Diodōrus enim magister sevērus est.
4. Sextus prīmus ad lūdum advenit.
5. Magister intrāns discipulum salūtat eumque cōnsīdere iubet: "Salvē, Sexte! Cōnsīde!"
6. Tum [= deinde] Sextus in sellā suā cōnsīdit.
7. Discipulus tacitus [= tacēns] ante magistrum sedet.
8. Sextus iam adest, at [= sed] cēterī discipulī nōndum adsunt.
9. Magister īrātus exclāmat: "Ō, discipulōs improbōs...!"
10. Titus iānuam [= ōstium] pulsat antequam lūdum intrat.
11. Titus nōn statim intrat, sed prīmum iānuam pulsat.

Exercitium 3

1. Quō it Mārcus? ...

Mārcus ad lūdum it

2. Quis est Diodōrus? ...

Diodōrus est lūdī magister

3. Cūr Mārcus magistrum suum metuit? ...

... quia magister eius sevērus est

4. Quōmodo magister discipulōs improbōs pūnit? ...

magister discipulōs virgā verberat

5. Cui discipulī pārent? ...

discipulī magistrō suō pārent

6. Quis discipulus prīmus ad lūdum advenit? ...

Sextus prīmus advenit

7. Quid facit Sextus cum magister intrat? ...

Sextus ē sellā surgit

8. Cūr īrātus est magister? ...

... quod cēterī puerī nōndum adsunt

9. Estne Sextus discipulus improbus? ...

Sextus discipulus probus est

10. Quid facit Titus antequam lūdum intrat? ...

Titus iānuam pulsat

11. Quid magister eum facere iubet? ...

magister eum cōnsīdere iubet

12. Cūr Titus librum suum nōn habet? ...

... quia Mārcus eius librum habet

13. Tūne magister/magistra an discipulus/discipula es? ...

discipulus/a sum

Exercitium 4

1. Lēander saccum portat; item Syrus saccum portat.

2. Dāvus et Ursus lectīcam cum dominō portant.

3. Lēander: "Saccus quem tū portās, Syre, levior est quam is quem ego portō."

4. Dāvus: "Saccī quōs vōs portātis, Syre et Lēander, leviōrēs sunt quam lectīca quam nōs portāmus."

5. Iūlia canit. Puerī nōn canunt, sed rīdent, quod Iūliam canere audiunt, nam puerī eam male canere putant.

6. Iūlia: "Cūr vōs rīdētis, puerī, cum mē canere audītis? Nōnne mē bene canere putātis?"

7. Mārcus: "Nōs rīdēmus cum tē canere audīmus, Iūlia, quia tē male canere putāmus!"

8. Quīntus: "Ego nōn rīdeō cum tē canere audiō."

9. Iūlia: "Audīsne, Mārce? Quīntus nōn rīdet cum mē canere audit. Cūr tū nōn rīdēs, Quīnte? Tūne mē bene canere putās?"

10. Quīntus: "Ego putō tē vōcem satis pulchram habēre. Nōn male canis, ut parva puella."

11. Iūlia: "Ego bene canō, at vōs male canitis!"

12. Quīntus: "Nōn male canimus, ut magnī puerī!"

Exercitium 5

1. Mārcus (ad Sextum et Titum): "Vōs magistrum nōn salūtātis..."
2. Sextus et Titus: "Id vērum nōn est: nōs magistrum salūtāmus."
3. Magister: "Vērum dīcitis. Quod Mārcus dīcit vērum nōn est."
4. Magister īrātus tergum Mārcī verberat.
5. Tergum est pars corporis posterior.
6. Mārcus nōn lacrimat, neque enim lacrimāre puerō Rōmānō convenit.
7. Magister eum verberāre dēsinit [<> incipit], atque puer ad sellam suam redit.
8. Quid [= cūr] Mārcus nōn cōnsīdit? Nōn cōnsīdit, quia pars tergī īnferior eī dolet.
9. Quīntus nōn in ludō, sed domī est.
10. Mārcus: "Quīntus dīcit 'sē aegrum esse'."
11. Magister: "Sī frāter tuus aeger est, in lūdum īre nōn potest."
12. Magister Mārcum Titō tabulam reddere iubet.
13. Magister: "Necesse est tē pūnīre, nisi tabulam nunc reddis Titō!"

Exercitium 6

1. Quis discipulus postrēmus advenit? ...

Mārcus postrēmus advenit

2. Mārcusne magistrum salūtat? ...

Mārcus magistrum nōn salūtat

3. Cūr magister Mārcum verberat? ...

... quod discipulus improbus est

4. Cūr Mārcus nōn lacrimat? ...

... quia puerō nōn convenit lacrimāre

5. Quō magister puerum redīre iubet? ...

eum ad sellam suam redīre iubet

6. Cūr Mārcus nōn cōnsīdit? ...

... quia eī dolet pars tergī īnferior

7. Quid est tergum? ...

tergum est pars corporis posterior

8. Ubi est frāter Mārcī? ...

frāter eius domī est in lectō

9. Cūr Quīntus in lūdum īre nōn potest? ...

... quia aegrōtat

10. Quid magister puerōs iubet? ...

magister eōs librōs aperīre iubet

11. Cūr Mārcus librum Titī habet? ...

... quod Titus mālum Mārcī habet

12. Cūr Titus nōn potest mālum reddere Mārcō? ...

... quia mālum in ventre Titī est

Exercitium 7

1. Dāvus et Ursus, quī dominum vehunt, iam fessī sunt.
2. Syrus et Lēander saccōs vehunt; iī nōndum fessī sunt.
3. Dāvus: "Nōs fessī sumus. Nōnne vōs fessī estis, Syre et Lēander?"
4. Syrus: "Nōs fessī nōn sumus. Cūr vōs fessī estis, Dāve et Urse?"
5. Ursus: "Nōs fessī sumus, quia dominus gravis est."
6. Dāvus: "St! Dominus dormit; is quoque fessus est."
7. Ursus: "Is quī vehitur fessus esse nōn potest."
8. Servī, quī dominum portāre iam nōn possunt, lectīcam in viā pōnunt. Dominus excitātur.
9. Iūlius: "Cūr hīc consistimus? Ubi sumus?"
10. Dāvus: "In monte sumus. Iam tē portāre nōn possumus, domine."
11. Iūlius: "Quid mē portāre nōn potestis?"
12. Dāvus: "Tē portāre nōn possumus, quia nimis gravis es."
13. Iūlius: "Ego gravis nōn sum, nec lectīca gravis est."
14. Ursus: "Sine tē lectīca gravis nōn est. Tūne apud lectīcam ambulāre potes?"
15. Iūlius: "Fessus sum: ambulāre nōn possum."
16. Dāvus: "Tū nōn tam fessus es quam nōs sumus."
17. Iūlius: "Vērum dīcis: ego nōn tam fessus sum quam vōs estis, sed ego dominus sum, vōs servī estis!"

Exercitium 8

1. Magister librum aperit ac recitāre incipit.
2. Dum magister recitat, omnēs discipulī dormiunt [= nūllus discipulus vigilat].
3. Discipulī tam bene dormiunt quam domī in lectulīs [= parvīs lectīs].
4. Ergō posteriōrem librī partem nōn audiunt, sed tantum priōrem partem.
5. Magister eōs verberat. Discipulī: "Cūr nōs verberās?"
6. Magister: "Vōs verberō, quod aliō modō vōs excitāre nōn possum."
7. In lūdō dormīre nōn licet.

Exercitium 9

1. Quid facit magister antequam recitāre incipit? ...

magister librum suum aperit

2. Tōtumne librum audiunt discipulī? ...

partem priōrem tantum audiunt

3. Cūr nōn audiunt posteriōrem librī partem? ...

... quod dormiunt

4. Cūr magister recitāre dēsinit? ...

... quia discipulōs dormientēs videt

5. Quōmodo magister discipulōs excitat? ...

magister exclāmat: "Ō discipulī improbī!"

6. Quid Mārcus dīcit magistrō īrātō? ...

Mārcus dīcit 'sē vigilāre et audīre'

7. Quōmodo magister discipulōs pūnit? ...

magister eōs virgā verberat

8. Cūr discipulī nōn cōnsīdunt? ...

... quia sedēre nōn possunt

9. Cūr magister eōs ante sellās stāre iubet? ...

... quod stantēs dormīre nōn possunt

10. Quid recitat magister sedēns? ...

partem librī posteriōrem recitat

11. Num in lūdō dormīre licet? ...

nōn licet dormīre in lūdō

12. Quid est lectulus? ...

lectulus est parvus lectus

13. Tūne stāns dormīre potes? ...

stāns dormīre nōn possum

14. Ubi vōs dormīre solētis, discipulī? ...

in lectīs nostrīs dormīre solēmus

Exercitium 10

1. 'Voc|ō', 'vocā|mus' persōna prīma est.

2. 'Vocā|s', 'vocā|tis' persōna secunda est.

3. 'Voca|t', 'voca|nt' persōna tertia est.

4. 'Voc|ō' persōna prīma singulāris est; 'vocā|mus' est persōna prīma plūrālis.

5. 'Vocā|s' persōna secunda singulāris est; 'vocā|tis' est persōna secunda plūrālis.

6. 'Voca|t' persōna tertia singulāris est; 'voca|nt' est persōna tertia plūrālis.

	Sing.	Plūr	Sing.	Plūr.	Sing.	Plūr.
7. Pers.1	amō	amāmus	videō	vidēmus	audiō	audīmus
8. Pers.2	amās	amātis	vidēs	vidētis	audīs	audītis
9. Pers.3	amat	amant	videt	vident	audit	audiunt
10. Pers.1	dūcō	dūcimus	faciō	facimus	sum	sumus
11. Pers.2	dūcis	dūcitis	facis	facitis	es	estis
12. Pers.3	dūcit	dūcunt	facit	faciunt	est	sunt

CAPITVLVM XVI

Exercitium 1

1. Italia inter duo maria interest.

2. Id mare quod suprā Italiam situm est 'mare Superum' sīve [= vel] 'mare Hadriāticum' appellātur [= nōminātur].

3. Īnfrā Italiam situm est mare Īnferum sīve Tūscum.

4. In Tiberī flūmine nōn multum, sed paulum aquae est.

5. Itaque magnae nāvēs Rōmam adīre nōn possunt.

6. Ōstia est oppidum maritimum quod magnum portum habet.

7. In ōrā maritimā multī sunt portūs.

8. Ōs flūminis est locus quō flūmen in mare īnfluit.

9. Rēs quās mercātōrēs emunt ac vēndunt 'mercēs' dīcuntur.

10. Cum nūllus ventus flat, mare tranquillum est.

11. Cum magnus ventus flat, mare turbidum est.

12. Tempestās est magnus ventus.

13. Tempestās mare turbat atque altōs flūctūs facit, quī nāvem aquā implēre possunt.

14. Nāvis quae aquā implētur in mare mergitur cum nautīs.

15. Itaque nautae tempestātēs metuunt nec marī turbidō nāvigāre volunt.

16. Is quī nāvigāre vult ventum secundum opperītur [= exspectat].

17. Ventus secundus est ventus quī ā tergō flat.

18. Ventō secundō nāvēs ē portū ēgrediuntur [= exeunt].

19. Vēla nāvium ventō implentur.

Exercitium 2

1. Inter quae maria sita est Italia? ...

Italia inter maria Superum et Īnferum sita est

2. Cūr magnae nāvēs Rōmam adīre nōn possunt? ...

... quia Tiberis parvum flūmen est

3. Ubi sita est Ōstia? ...

Ōstia sita est ad ōstium Tiberis

4. Quid dīcitur locus quō flūmen in mare īnfluit? ...

'ōstium' flūminis dīcitur

5. In quod mare Tiberis īnfluit? ...

Tiberis in mare Īnferum īnfluit

6. Ubi sita sunt oppida Brundisium, Puteolī, Genua? ...

in ōrā maritimā sita sunt

7. Quid est portus? ...

portus est locus quō nāvēs ad terram adīre possunt

8. Quōmodo mercēs ex Āfricā in Italiam vehuntur? ...

nāvibus mercēs ex Āfricā in Italiam vehuntur

9. Num mercēs tantum vehuntur nāvibus? ...

etiam hominēs nāvibus vehuntur

10. Quid facit is quī nāvigāre vult? ...

adit nautam quī nāvem habet

11. Quandō tranquillum est mare? ...

mare tranquillum est cum nūllus ventus flat

12. Quid est tempestās? ...

tempestās est magnus ventus

13. Cūr nautae tempestātēs metuunt? ...

... quod tempestātēs mare turbant

14. Quid nautae in portū opperiuntur? ...

ventum secundum opperiuntur

Exercitium 3

1. Ventō secundō nāvēs ē portū ēgrediuntur.

2. Nāvēs plēnīs vēlīs per mare vehuntur.

3. Nautae nec marī tranquillō nec marī turbidō nāvigāre volunt.

4. Mārcus fenestrā apertā dormit, Quīntus fenestrā clausā cubat.

5. Puer oculīs clausīs in lectō cubat.

6. Mārcus surgit ac pedibus nūdīs ante lectum stat.

7. Manibus sordidīs nōn oportet cibum sūmere.

8. Titō incertō magister Sextum interrogat.

9. Patre vīvō fīlius pecūniōsus nōn est.

10. Lūnā plēnā nox obscūra nōn est.

Exercitium 4

Exempla:

verērī = timēre

verētur = timet, verentur = timent

verēns = timēns

1. In portū necesse est ventum opperīrī.

2. Nautae ventum secundum opperiuntur.

3. Mēdus, quī dominum sevērum verētur, ex Italiā in Graeciam proficīscī

vult.

4. Ventō secundō nāvis ē portū ēgreditur.

5. Sōl oritur; Mēdus et Lȳdia sōlem orientem intuentur.

6. Mēdus laetātur quia cum amīcā suā proficīscitur.

7. Lȳdia Rōmā proficīscēns laetārī nōn potest; dē oculīs eius lacrimae lābuntur.

8. Mēdus amīcam suam trīstem complectitur atque cōnsōlātur.

9. Quīntus oculīs clausīs cultrum medicī opperītur.

10. Parentēs fīlium vīvere laetantur.

11. Ovēs pāstōrem suum sequuntur; canis ovēs sequitur.

12. Omnēs nautae Neptūnum, deum maris, verentur.

13. Oculī hūmānī sōlem intuērī nōn possunt.

Exercitium 5

Exemplum:

Iūlius nummōs numerat Aemiliā spectante (= dum Aemilia spectat).

1. Sōle oriente nāvis proficīscitur multīs hominibus spectantibus.

2. Magistrō recitante discipulī dormiunt.

3. Mārcus rīdet plōrante sorōre!

4. Sōle lūcente pāstor umbram petit.

5. Pāstore dormiente ovis abit, sed pāstor lātrante cane excitātur.

6. Cēterīs tacentibus et audientibus medicus Quīntum oculōs claudere iubet.

7. Gallō canente excitātur puer.

Exercitium 6

1. Puppis est pars nāvis posterior.

2. Illīc sedet gubernātor, is est nauta quī nāvem gubernat.

3. Oriēns est ea pars caelī unde sōl hōrā prīmā oritur.

4. Occidēns est ea caelī pars quō sōl hōrā duodecimā occidit.

5. Oriēns et occidēns partēs caelī contrāriae sunt.

6. Ea caelī pars ubi sōl merīdiē stat appellātur 'merīdiēs'.

7. Pars contrāria dīcitur 'septentriōnēs' ā septem stēllīs quae semper in eā parte caelī stant.

8. Nautae ad occidentem nāvigantī merīdiēs ā sinistrā est, ā dextrā septentriōnēs, oriēns ā tergō.

9. Ventō secundō atque caelō serēnō multae nāvēs simul [= ūnō tempore] ē portū ēgrediuntur.

10. Mēdus et Lȳdia nāvem cōnscendunt et ex Italiā proficīscuntur.

11. Lȳdia Mēdum in puppim ascendentem sequitur.

12. Lȳdia trīstis est, sed Mēdus laetātur [= gaudet] nec iam dominum verētur.

13. Mēdus faciem Lȳdiae intuētur [= spectat]: dē oculīs eius lacrimae lābuntur.

14. Mēdus amīcam suam complectitur eamque multīs verbīs cōnsōlātur.

15. Parvae rēs quae procul absunt oculīs cernī nōn possunt.

Exercitium 7

Ubi sedet gubernātor et quid agit? ...

in puppī sedet et nāvem gubernat

Quid est puppis? ...

puppis est pars nāvis posterior

Quae sunt quattuor partēs caelī? ...

oriēns et occidēns, merīdiēs et septentriōnēs

Quae dīcitur ea caelī pars unde sōl oritur? ...

oriēns dīcitur

Pars contrāria quae est? ...

occidēns est pars contrāria

Unde Mēdus et Lȳdia nāvem cōnscendunt? ...

ex portū Ōstiēnsī

Quō proficīscuntur? ...

in Graeciam proficīscuntur

Cūr in Graeciam īre volunt? ...

... quod Graecia patria eōrum est

Quid sēcum ferunt in nāve? ...

omnēs rēs suās sēcum ferunt

Quid Mēdus et Lȳdia ē nāve spectant? ...

sōlem orientem spectant

Cūr hominēs in portū vix cernī possunt? ...

... quia procul absunt

Num trīstis est Mēdus? ...

immō Mēdus laetātur

Cūr Lȳdia nōn laetātur? ...

... quod amīcās suās relinquit

Quōmodo Mēdus amīcam suam cōnsōlātur? ...

Mēdus eam complectitur et verbīs cōnsōlātur

Quam in partem nāvigant? ...

in merīdiem nāvigant

Exercitium 8

Exemplum: Puer aeger multum aquae bibit et paulum cibī ēst.

1. In Tiberī nōn multum, sed paulum aquae est.
2. Iūlius multum pecūniae habet.
3. Ovēs multum herbae edunt.
4. Pāstor nōn paulum pānis sēcum fert.
5. In corde et in vēnīs multum sanguinis est.
6. Post paulum temporis discipulī dormiunt.

Exercitium 9

1. Quīntus, quī multum ēsse solet, hodiē paulum ēst.
2. Quīntus multō crassior est quam Mārcus et paulō crassior quam Iūlia.
3. Nāvis proficīscitur; paulō post terra cernī nōn potest.
4. Nūbēs oriuntur, nec multō post tempestās oritur.
5. Iam flūctūs multō altiōrēs sunt quam paulō ante.
6. Nautae multum aquae ē nāve hauriunt.
7. Nāvis paulō levior fit.
8. Dānuvius flūmen multō longius est quam Tiberis et paulō longius quam Rhēnus.

Exercitium 10

1. Dum gubernātor loquitur [<> tacet], Mēdus caelum spectat.

2. Ab occidente nūbēs oriuntur nōn albae, sed ātrae.

3. Nauta deum Neptūnum invocat: "Ō Neptūne!"

4. Paulō post fulgur caelum et mare illūstrat, et statim magnus tonitrus audītur.

5. Simul tempestās oritur; mare turbidum fit [= esse incipit].

6. Nāvis flūctibus iactātur ac vix [= prope nōn] gubernārī potest.

7. Necesse est aquam haurīre et mercēs iacere.

8. Gubernātor Neptūnum invocat propter timōrem [= quia timet].

9. Lȳdia Chrīstum invocat: "Ō Chrīste! Servā nōs!"

10. Mēdus Lȳdiam lābentem sustinēre cōnātur, nec vērō [= sed nōn] ipse stāre potest.

11. Lȳdia iterum [= rūrsus] Chrīstum invocat: "Ō Chrīste! Iubē mare tranquillum fierī!"

Exercitium 11

1. Quid Mēdus in occidente videt? ...

nūbēs ātrās videt

2. Quid gubernātor opperītur? ...

gubernātor tempestātem opperītur

3. Cūr Neptūnum invocant nautae? ...

... quia Neptūnus deus maris est

4. Cūr nāvis gubernārī vix potest? ...

... quod magna tempestās mare turbat

5. Quid nautae ē nāve hauriunt? ...

nautae aquam ē nāve hauriunt

6. Cūr mercēs in mare iaciuntur? ...

... quod nāvis nimis gravis est

7. Ubi est mercātor cuius mercēs iaciuntur? ...

mercātor ipse quoque nāve vehitur

8. Quem dominum Lȳdia invocat? ...

Lȳdia Iēsum Chrīstum invocat

9. Quid tum agit Mēdus? ...

Mēdus Lȳdiam interrogat

10. Cūr Mēdus loquī nōn potest? ...

... quia ōs eius aquā implētur

11. Cūr nautae aquam haurīre dēsinunt? ...

... quod ventus cadit

12. Mergiturne nāvis? ...

nāvis servātur, nōn mergitur

Exercitium 12

1. 'Timē|re' verbum āctīvum est; 'timē|rī' verbum passīvum est.

2. 'Verē|rī' est verbum dēpōnēns; 'verē|rī' et 'lāb|ī' verba dēpōnentia sunt.

3. Īnfīnītīvus verbī dēpōnentis nōn in -re dēsinit, sed in -rī/-ī ut īnfīnītīvus verbī passīvī.

4. Īnfīnītīvus: cōnārī, intuērī, loquī, opperīrī.

5. Persōna tertia verbī dēpōnentis nōn in -t, -nt dēsinit, sed in -tur, -ntur ut persōna tertia verbī passīvī.

6. Persōna tertia: singulāris: cōnātur, intuētur, loquitur, opperītur; plūrālis: cōnantur, intuentur, loquuntur, opperiuntur.

7. Participium verbī dēpōnentis dēsinit in -ns ut participium verbī āctīvī.

8. Participium: nōm. sing. cōnāns, intuēns, loquēns, opperiēns.